

LECTIONARIUM PRO MISSIS DE BEATA MARIA VIRGINE

II

COLLECTIO MISSARUM
DE BEATA MARIA VIRGINE

LECTIONARIUM




Semen Mulieris conteret caput serpentis

CONGREGATIO PRO CULTU DIVINO

LECTIONARIUM PRO MISSIS DE BEATA MARIA VIRGINE

EDITIO TYPICA



LIBRERIA EDITRICE VATICANA
1987



CONGREGATIO PRO CULTU DIVINO

Prot. N. 309/86

DECRETUM

Christi mysterium celebrans, Ecclesia beatam Virginem Mariam sæpe venerabunda commemorat, Filio intime devinctam: recolit enim mulierem novam quæ, Christi mortis intuitu, in ipsa conceptione sublimiore modo est redempta; matrem quæ, Spiritus Sancti virtute, Filium virginaliter genuit; discipulam quæ Magistri verba sedula in corde suo custodivit; Redemptoris sociam quæ, ex divino consilio, operi Filii generose totam se devovit.

In beata Virgine agnoscit quoque Ecclesia supereminens atque singulare membrum omni copia exornatum virtutum; eam a Christo in ara crucis matrem sibi concreditam pio prosequitur amore eiusque patrocinium indesinenter postulat; eam in itinere fidei et in ærumnis vitæ comitem ac sororem profitetur; in ea, iam in cælesti regno apud Filium locata, imaginem futuræ suæ gloriæ læta contemplatur.

Cum autem Patres, in Concilio Œcumenico Vaticano II congregati, doctrinam de beata Maria Virgine in mysterio Christi et Ecclesiæ altius pervestigassent et principia et normas de instauranda liturgia edidissent, Ecclesiæ particulares et plurima Instituta religiosa *Propria missarum* recognoverunt, monumenta liturgica adeuntes, Sanctorum Patrum tum Orientis tum Occidentis scripta considerantes, magisterii ecclesiastici documenta meditantes, antiqua denique cum novis sapienter componentes. Quo instaurationis opere eve-

nit ut missæ quoque de beata Maria Virgine vel accurate recenserentur atque emendarentur vel ex novo conficerentur.

Itaque petentibus compluribus pastoribus et fidelibus ac potissimum sanctuariorum marialium rectoribus, opportunum visum est ex iis missarum formulariis, quorum multa doctrina, pietate textuumque momento pollent, nonnulla in unum colligere et per anni circulum apte distribuere, ut ope quoque huius instrumenti liturgici genuina pietas tum communitatum tum singulorum fidelium erga Matrem Domini foveretur.

Hanc *Collectionem missarum de beata Maria Virgine,* quæ veluti appendix Missalis Romani haberi potest, Summus Pontifex Ioannes Paulus II Auctoritate Sua Apostolica approbavit evulgarique iussit.

Quapropter hæc Congregatio pro Cultu Divino, de speciali mandato eiusdem Summi Pontificis, *Collectionem missarum de beata Maria Virgine* publici iuris facit, quæ, lingua latina exarata, statim ac prodierit vigere incipiet; linguis autem vernaculis, cum interpretationes a Sede Apostolica sint recognitæ, a die quem Conferentiæ Episcoporum statuerint.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romæ, ex ædibus Congregationis pro Cultu Divino, die 15 augusti 1986, in sollemnitate Assumptionis beatæ Mariæ Virginis.

AUGUSTINUS Card. MAYER
Præfectus

✠ VERGILIUS NOÈ
Archiep. tit. Voncariensis
a Secretis

PRÆNOTANDA

1. De verbi Dei momento in Eucharistiæ celebratione multa et digna quæ attente perpendantur in Prænotandis *Ordinis Lectionum Missæ* scripta invenimus.[1] Quæ omnia — ut par est — in missis quoque de beata Maria Virgine celebrandis diligenter sunt consideranda.

I. De verbo Dei in formulariis « Collectionis missarum de beata Maria Virgine »

2. Peculiare obiectum uniuscuiusque memoriæ liturgicæ, cum textibus euchologicis tum textibus biblicis exprimitur ac definitur. Unde manifestum est cur in seligendis Sacrarum Scripturarum locis summa cura, iam inde ab antiquis temporibus, adhibita sit; sed et patet cur in « Collectione missarum » suum cuique formulario « schema lectionum » sit assignatum ad liturgiam verbi celebrandam.

3. Lectiones biblicæ *Collectionis missarum de beata Maria Virgine* amplum variumque « corpus » constituunt a communitatibus ecclesialibus tum antiquis tum recentioribus, sæculorum decursu, confectum.

In hoc « corpore biblico » tria lectionum genera distingui possunt:

a) lectiones tum Novi tum Veteris Testamenti quæ vitam ipsam vel missionem beatæ Mariæ Virginis respiciunt vel prophetias continent ad eam pertinentes;

b) lectiones Veteris Testamenti, quæ antiquitus ad sanctam Mariam referuntur. Sacræ Scripturæ enim tum Novi tum Antiqui Fœderis tamquam unum corpus, Christi et Ecclesiæ mysterio perfusum, ab ipsis Sanctis Patribus sunt habitæ.[2] Quare facta, figuræ vel symbola quædam Veteris Testamenti prænuntiant vel mirum evocant in modum vitam et missionem beatæ Mariæ Virginis, gloriosæ filiæ Sion et Christi matris;

c) lectiones Novi Testamenti ipsam beatam Virginem non respicientes, quæ tamen ad eius memoriam celebrandam proponuntur ut

[1] Cf. Ordo Lectionum Missæ. Editio Typica altera. Libreria Editrice Vaticana MCMLXXXI, *Prænotanda,* nn. 1-10, pp. XIII-XVII.

[2] Cf. S. Gaudentius Brixiensis, *Tractatus II in Exodum,* 15: CSEL 68, pp. 26-27.

patefiat in sancta Maria, prima atque perfecta Christi discipula, mire effulsisse virtutes — fidem, caritatem, spem, humilitatem, misericordiam, cordis puritatem ... —, quæ in Evangelio exaltantur.

4. Quod ad lectiones attinet quæ unicuique formulario in « Collectione missarum » assignantur, hæc sunt notanda:

a) duæ tantum lectiones proponuntur: prior e Vetere Testamento vel ex Apostolo (id est ex Epistulis aut ex Apocalypsi), tempore autem paschali ex Actibus Apostolorum vel ex Apocalypsi; altera ex Evangelio. Tamen cum sæpe mysterium quod celebratur multis rationibus considerari possit, haud raro pro lectione priore et pro Evangelii lectione duo vel tres textus proponuntur, ex quibus unus, ad libitum, est eligendus. Quin etiam pro quibusdam missis interdum duæ series integræ lectionum exhibentur;

b) attamen, si in peculiaribus celebrationibus sollemnioribus, sacerdos una cum fidelibus tres lectiones in missa proclamare exoptat, lectio addenda sumitur vel e textibus qui inveniuntur in *Communi beatæ Mariæ Virginis* vel e textibus qui continentur in Appendice huius *Lectionarii,* iis servatis quæ in Prænotandis *Ordinis Lectionum Missæ,* nn. 78-81 (« De principiis in usu Ordinis lectionum adhibendis ») præcipiuntur;

c) lectiones quæ in « Collectione missarum » pro singulis formulariis indicantur, aptissimæ fere erunt ad peculiarem memoriam beatæ Virginis celebrandam. Celebrantibus tamen datur facultas illis substituendi alias aptas lectiones ad libitum selectas ex iis quæ in *Communi beatæ Mariæ Virginis* vel in Appendice huius *Lectionarii* continentur.[3]

5. Quod attinet ad liturgiam verbi, hæc serventur:

a) tempore Adventus, Nativitatis, Quadragesimæ et Paschatis, ne « lectio continua » Sacræ Scripturæ interrumpatur aut sæpius negleguntur lectiones peculiarem indolem temporis liturgici exprimentes adhibeantur lectiones quæ unicuique diei in Lectionario de tempore assignantur. Si tamen agatur de celebratione quæ fiat ad modum *festi* vel *sollemnitatis,* adhiberi possunt lectiones quæ pro unaquaque missa in hoc *Lectionario* inveniuntur;[4]

[3] Cf. Ordo Lectionum Missæ, Commune beatæ Mariæ Virginis, nn. 707-712, pp. 325-327; cf. infra Appendix, nn. 1-21, pp. 183-215.

[4] Cf. Collectio missarum de beata Maria Virgine, I, *Prænotanda,* n. 31 c), p. XVIII.

b) tempore « per annum » sacerdotis celebrantis est una « cum ministris aliisque partem aliquam in celebratione exercentibus, fidelibus minime exclusis »,[5] statuere utrum præstet lectiones sumere e Lectionario « Collectionis missarum » an e Lectionario de tempore.

II. Beata Maria Virgo exemplar Ecclesiæ verbum Dei audientis

6. Ecclesia autem, quæ inter missarum sollemnia verbi Dei proclamationem summis liturgiæ prosequitur honoribus, haud raro fideles admonet ut sint « factores verbi et non auditores tantum » (*Iac* 1, 22) fallentes semetipsos. Secundum enim Domini sententiam illi sunt beati « qui audiunt verbum Dei et custodiunt » (*Lc* 11, 28).

7. Sæculorum decursu, multi et sancti discipuli Domini exstiterunt, qui verbum Dei valde dilexerunt et ad divinas Scripturas tamquam ad vivificum fontem studiose accesserunt; sed Ecclesia Virginem Nazarethanam, quæ prima omnium in Novo Testamento propter fidem beata meruit appellari (cf. *Lc* 1, 45), ut exemplar discipuli verbum Dei fideliter audientis ceteris præponit.

8. Beata Virgo enim Gabrielis nuntium fidenter audivit et amanter suscepit, unde quæ se Domini ancillam dixit (cf. *Lc* 1, 38) mater Christi est effecta, Filium Dei prius in mente quam in ventre generans.[6] Sancta Maria autem, virgo prudens, eloquia Domini abscondit in corde ac, virgo sapiens, secum contulit mente revolvens (cf. *Lc* 2, 19. 51).

Verbum Dei, in eius corde satum, Mariam impulit ad Elisabeth cognatam invisendam, ut una cum ea Deum magnificaret propter eius bonitatem et misericordiam erga Israel, dilectum puerum (cf. *Lc* 1, 54). Verba autem vel dura (cf. *Lc* 2, 34-35; *Mt* 2, 13) vel obscura (cf. *Lc* 2, 49) quæ ei prophetice sunt prolata, Virgo Nazarethana non reiecit sed, Dei consilio plene adhærens, in corde custodivit (cf. *Lc* 2, 51).

In nuptiali convivio, verba Filii præter litterarum sonum intellegens (cf. *Io* 2, 4), « signum Canæ » altius penetravit, Domini mandata servanda monuit (cf. *Io* 2, 5) fidemque iuvit discipulorum.

[5] *Institutio generalis Missalis Romani,* n. 313; cf. Ordo Lectionum Missæ, *Prænotanda,* n. 78, pp. XXXV-XXXVI.

[6] Cf. S. Augustinus Hipponensis, *Sermo 215,* 4: PL 38, 1074; s. Leo Magnus, *In Nativitate Domini Sermo I,* 1: PL 54, 191.

Apud crucem stans (cf. *Io* 19, 25), verba Filii suscepit, qui, antequam spiritum traderet, dilectum discipulum eius maternæ curæ commendavit (cf. *Io* 19, 26). Quod autem Dominus, a mortuis suscitatus, Apostolis præceperat, ut in civitate sederent quoadusque virtute ex alto induerentur (cf. *Lc* 24, 49), et ipsa fideliter servavit: Hierosolymis mansit et, cum Apostolis perveserans unanimiter in oratione, Sancti Spiritus donum fidenter est præstolata.

9. Unde liturgia Romana cum de verbo Dei suscipiendo fideles admonet, sæpe eis proponit beatæ Mariæ Virginis exemplum, quam Deus intentam reddidit suo verbo,[7] quæ, nova Eva divino verbo obœdiens,[8] Filii verbis docilem se præbuit.[9] Quare mater Iesu merito « Virgo audiens » salutatur, « quæ Dei verbum cum fide excepit ».[10] Beatæ Virginis instar « agit Ecclesia, utpote quæ, præsertim in sacra liturgia, verbum Dei audit et excipit, et proclamat et veneratur; quin et fidelibus impertit ceu panem vitæ; quæ præterea, eius lumine affulgente, temporum signa, quæ sint, investigat, eventusque humanos interpretatur et vivit ».[11]

10. Pastores ergo doceant fideles, qui sanctuaria Dei Genetrici dicata frequentant vel in sabbato sacris intersunt in sanctæ Mariæ memoriam, hoc esse erga beatam Virginem præcellens pietatis obsequium: verbum Dei in celebrationibus liturgicis recte proclamare et peculiari amore venerari; fidenter audire et in corde custodire; mente revolvere et ore diffundere; fideliter exsequi eique totam conformare vitam.

[7] Cf. Liturgia Horarum, Commune beatæ Mariæ Virginis, I et II Vesp., Preces (formularium alterum).

[8] Cf. Liturgia Horarum, die 25 martii in Annuntiatione Domini, Laud., Preces.

[9] Cf. Liturgia Horarum, sabbato I et III hebdomadæ, Laud., Preces.

[10] PAULUS VI, Adhortatio apostolica *Marialis cultus*, n. 17: A.A.S. 66 (1974) p. 128.

[11] Ibid., n. 17: A.A.S. 66 (1974) p. 129.

INDEX SIGLORUM

Act	Actus Apostolorum
Ag	Prophetia Aggæi
Ap	Apocalypsis Ioannis
Cant	Canticum canticorum
1 Chr	Liber I Chronicorum (= I Paralipomenon)
Col	Epistula beati Pauli apostoli ad Colossenses
1 et 2 Cor	Epistulæ I et II beati Pauli apostoli ad Corinthios
Deut	Liber Deuteronomii
Eph	Epistula beati Pauli apostoli ad Ephesios
Est	Liber Esther
Ex	Liber Exodus
Ez	Prophetia Ezechielis
Gal	Epistula beati Pauli apostoli ad Galatas
Gen	Liber Genesis
Hebr	Epistula ad Hebræos
Ier	Liber Ieremiæ
Io	Evangelium secundum Ioannem
Ion	Prophetia Ionæ
Is	Liber Isaiæ
Iudt	Liber Iudith
Lc	Evangelium secundum Lucam
2 Mac	Liber II Maccabæorum
Mal	Prophetia Malachiæ
Mc	Evangelium secundum Marcum
Mic	Prophetia Michææ
Mt	Evangelium secundum Matthæum

Num	Liber Numeri
Prov	Liber Proverbiorum
Ps	Liber Psalmorum
1 Reg	Liber I Regum (= III Regum)
Rom	Epistula beati Pauli apostoli ad Romanos
Rut	Liber Ruth
1 et 2 Sam	Libri I et II Samuelis (= I et II Regum)
Sap	Liber Sapientiæ
Sir	Liber Siracidæ (Ben Sira = Ecclesiasticus)
Soph	Prophetia Sophoniæ
1 Tim	Epistula I beati Pauli apostoli ad Timotheum
Tit	Epistula beati Pauli apostoli ad Titum
Tob	Liber Thobiæ
Zac	Prophetia Zachariæ

△ Hoc signum indicat alteram lectionem, ad libitum eligendam, in formulario proponi.

△ △ Hoc signum indicat duas alias lectiones, ad libitum eligendas, in formulario proponi.

* ** In formulariis quæ duplici serie lectionum ditantur, signum * indicat priorem seriem; signum * * alteram seriem.

App = Appendix. Numerus autem designat non paginas, sed ordinem lectionum.

TEMPUS ADVENTUS



Angelus Domini nuntiavit Mariæ

Tempore Adventus liturgia Romana utrumque « Adventum Domini » celebrat: alterum in humilitate, cum in plenitudine temporum (cf. *Gal* 4, 4) Filius Dei, ex beata Maria Virgine carnem sumens, in mundum venit ad salvandos homines; alterum in gloria, cum in fine temporum ipse veniet « iudicare vivos et mortuos » (Professio fidei) et iustos in domum Patris ducere, ubi sancta Maria eos præcessit gloriosa.

FORMULARIA MISSARUM

1. Beata Maria Virgo, electa Israel progenies.
2. Beata Maria Virgo in annuntiatione Domini.
3. Visitatio beatæ Mariæ Virginis.

1

BEATA MARIA VIRGO
ELECTA ISRAEL PROGENIES

LECTIO PRIMA △ (App **5**)

Sicut locutus est ad patres nostros,
Abraham et semini eius in sæcula

Léctio libri Génesis 12, 1-7

In diébus illis:
1 Dixit Dóminus ad Abram:
« Egrédere de terra tua et de cognatióne tua
et de domo patris tui
in terram, quam monstrábo tibi.
2 Faciámque te in gentem magnam
et benedícam tibi
et magnificábo nomen tuum,
erísque in benedictiónem.
3 Benedícam benedicéntibus tibi
et maledicéntibus tibi maledícam,
atque in te benedicéntur
univérsæ cognatiónes terræ! ».

4 Egréssus est ítaque Abram, sicut præcéperat ei Dóminus, et
ivit cum eo Lot. Septuagínta quinque annórum erat Abram,
cum egrederétur de Charran. 5 Tulítque Sárai uxórem suam
et Lot fílium fratris sui universámque substántiam, quam
acquisíverant, et ánimas, quas fécerant in Charran, et egréssi
sunt, ut irent in terram Chánaan; et venérunt in terram Chánaan.

6 Pertransívit Abram terram usque ad locum Sichem, usque
ad Quercum Moreh. Chananæus autem tunc erat in terra.

7 Appáruit autem Dóminus Abram et dixit ei: « Sémini tuo dabo terram hanc ». Qui ædificávit ibi altáre Dómino, qui apparúerat ei.

Verbum Dómini.

Vel:

Dabit illi Deus sedem David patris eius

Léctio libri secúndi Samuélis 7, 1-5. 8b-11. 16

1 Factum est, cum sedísset rex in domo sua, et Dóminus de-
dísset ei réquiem úndique ab univérsis inimícis suis, 2 dixit
ad Nathan prophétam: « Vidésne quod ego hábitem in domo
cédrina, et arca Dei pósita sit in médio péllium? ». 3 Dixítque
Nathan ad regem. « Omne, quod est in corde tuo, vade, fac,
quia Dóminus tecum est ».

4 Factum est autem in nocte illa, et ecce sermo Dómini ad Na-
than dicens: 5 « Vade et lóquere ad servum meum David:
Hæc dicit Dóminus: Numquid tu ædificábis mihi domum
ad habitándum? 8 Ego tuli te de páscuis sequéntem greges,
ut esses dux super pópulum meum Israel, 9 et fui tecum in
ómnibus, ubicúmque ambulásti, et interféci univérsos ini-
mícos tuos a fácie tua; fecíque tibi nomen grande iuxta no-
men magnórum, qui sunt in terra.

10 Et ponam locum pópulo meo Israel et plantábo eum, et ha-
bitábit in eo et non turbábitur ámplius; nec addent fílii ini-
quitátis ut afflígant eum sicut prius 11 et ex die, qua constítui
iúdices super pópulum meum Israel, et réquiem dabo tibi
ab ómnibus inimícis tuis. Prædicítque tibi Dóminus quod do-
mum fáciat tibi Dóminus.

16 Et stábilis erit domus tua et regnum tuum usque in ætérnum ante fáciem meam, et thronus tuus erit firmus iúgiter ».

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS Ps 112, 1-2. 3-4. 5-6. 7-8 (℟.: 2)

℟. Sit nomen Dómini benedíctum in sǽculum!

1 Laudáte, púeri Dómini,
laudáte nomen Dómini.
2 Sit nomen Dómini benedíctum
ex hoc nunc et usque in sǽculum. ℟.

3 A solis ortu usque ad occásum
laudábile nomen Dómini.
4 Excélsus super omnes gentes Dóminus,
super cælos glória eius. ℟.

5 Quis sicut Dóminus Deus noster,
qui in altis hábitat
6 et se inclínat, ut respíciat
in cælum et in terram? ℟.

7 Súscitans de terra ínopem,
de stércore érigens páuperem,
8 ut cóllocet eum cum princípibus,
cum princípibus pópuli sui. ℟.

ALLELUIA

℟. Allelúia.

℣. Radix Iesse, stans in signum populórum:
veni ad liberándum nos, iam noli tardáre.

℟. Allelúia.

EVANGELIUM

Genealogia Iesu Christi, filii David filii Abraham

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum 1, 1-17

1 Liber generatiónis Iesu Christi fílii David fílii Abraham.

2 Abraham génuit Isaac, Isaac autem génuit Iacob, Iacob
autem génuit Iudam et fratres eius, 3 Iudas autem génuit Pha-

res et Zara de Thamar, Phares autem génuit Esrom, Esrom
autem génuit Aram, [4] Aram autem génuit Amínadab, Amínadab
autem génuit Naásson, Naásson autem génuit Salmon, [5] Sal-
mon autem génuit Booz de Rahab, Booz autem génuit Obed
ex Ruth, Obed autem génuit Iesse, [6] Iesse autem génuit David
regem.

David autem génuit Salomónem ex ea, quæ fuit Uríæ, [7] Sá-
lomon autem génuit Róboam, Róboam autem génuit Abíam,
Abía autem génuit Asa, [8] Asa autem génuit Iósaphat, Iósaphat
autem génuit Ioram, Ioram autem génuit Ozíam, [9] Ozías autem
génuit Ióatham, Ióatham autem génuit Achaz, Achaz autem
génuit Ezechíam, [10] Ezechías autem génuit Manássen, Manás-
ses autem génuit Amon, Amon autem génuit Iosíam, [11] Iosías
autem génuit Iechoníam et fratres eius in transmigratióne Ba-
bylónis.

[12] Et post transmigratiónem Babylónis Iechonías génuit Salá-
thiel, Saláthiel autem génuit Zoróbabel, [13] Zoróbabel autem
génuit Abiud, Abiud autem génuit Elíachim, Elíachim autem
génuit Azor, [14] Azor autem génuit Sadoc, Sadoc autem génuit
Achim, Achim autem génuit Eliud, [15] Eliud autem génuit Eleá-
zar, Eleázar autem génuit Matthan, Matthan autem génuit
Iacob, [16] Iacob autem génuit Ioseph virum Maríæ, de qua
natus est Iesus, qui vocátur Christus.

[17] Omnes ergo generatiónes ab Abraham usque ad David gene-
ratiónes quattuórdecim; et a David usque ad transmigratió-
nem Babylónis generatiónes quattuórdecim; et a transmi-
gratióne Babylónis usque ad Christum generatiónes quat-
tuórdecim.

Verbum Dómini.

2

BEATA MARIA VIRGO IN ANNUNTIATIONE DOMINI

LECTIO PRIMA (App **6**)

Ecce virgo concipiet

Léctio libri Isaíæ prophétæ 7, 10-14; 8, 10c

In diébus illis:

Locútus est Dóminus ad Achaz dicens: 7,11 « Pete tibi signum
a Dómino Deo tuo in profúndum inférni sive in excélsum
supra ».

12 Et dixit Achaz: « Non petam et non tentábo Dóminum ».

13 Et dixit: « Audíte ergo, domus David; numquid parum vo-
bis est moléstos esse homínibus, quia molésti estis et Deo
meo? 14 Propter hoc dabit Dóminus ipse vobis signum. Ecce,
virgo concípiet et páriet fílium et vocábit nomen eius Em-
mánuel, 8,10 quia nobíscum Deus ».

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUM

Ps 39, 7-8a. 8b-9. 10. 11 (℟.: cf. 8a et 9a)

℟. Ecce vénio, Dómine, ut fáciam voluntátem tuam.

7 Sacrifícium et oblatiónem noluísti,
aures autem fodísti mihi.
Holocáustum et pro peccáto non postulásti,
8 tunc dixi: « Ecce vénio. ℟.

In volúmine libri scriptum est de me.
9 Fácere voluntátem tuam,
Deus meus, vólui;
et lex tua in præcórdiis meis ». ℟.

10 Annuntiávi iustítiam tuam in ecclésia magna;
ecce lábia mea non prohibébo, Dómine, tu scisti. ℟.

11 Iustítiam tuam non abscóndi in corde meo,
veritátem tuam et salutáre tuum dixi.
Non abscóndi misericórdiam tuam
et veritátem tuam ab ecclésia magna. ℟.

ALLELUIA — Io 1, 14ab

℟. Allelúia.

℣. Verbum caro factum est
et habitávit in nobis,
et vídimus glóriam eius.

℟. Allelúia.

EVANGELIUM — (App **17**)

Ecce concipies in utero et paries filium

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam — 1, 26-38

In illo témpore:
26 Missus est ángelus Gábriel a Deo in civitátem Galilǽæ, cui
nomen Názareth, 27 ad vírginem desponsátam viro, cui no-
men erat Ioseph de domo David, et nomen vírginis María.

28 Et ingréssus ad eam dixit: « Ave, grátia plena, Dóminus
tecum ». 29 Ipsa autem turbáta est in sermóne eius et co-
gitábat qualis esset ista salutátio.

30 Et ait ángelus ei: « Ne tímeas, María; invenísti enim grá-
tiam apud Deum. 31 Et ecce concípies in útero et páries fí-
lium, et vocábis nomen eius Iesum. 32 Hic erit magnus et
Fílius Altíssimi vocábitur, et dabit illi Dóminus Deus sedem
David patris eius, 33 et regnábit super domum Iacob in ætér-
num, et regni eius non erit finis ».

34 Dixit autem María ad ángelum: « Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? ».

35 Et respóndens ángelus dixit ei: « Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi: ideóque
et quod nascétur sanctum, vocábitur Fílius Dei. 36 Et ecce
Elísabeth cognáta tua et ipsa concépit fílium in senécta
sua, et hic mensis est sextus illi, quæ vocátur stérilis, 37 quia
non erit impossíbile apud Deum omne verbum ».

38 Dixit autem María: « Ecce ancílla Dómini; fiat mihi secúndum verbum tuum ». Et discéssit ab illa ángelus.

Verbum Dómini.

3

VISITATIO BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

LECTIO PRIMA △ (App 8)

Rex Israel Dominus in medio tui

Léctio libri Sophoníæ prophétæ 3, 14-18a

14 Lauda, fília Sion;
iubiláte, Israel!
Lætáre et exsúlta in omni corde,
fília Ierúsalem!
15 Abstulit Dóminus iudícium tuum,
avértit inimícos tuos;
rex Israel Dóminus in médio tui,
non timébis malum ultra.
16 In die illa dicétur Ierúsalem:
« Noli timére, Sion;
ne dissolvántur manus tuæ!
17 Dóminus Deus tuus in médio tui,
fortis ipse salvábit;
gaudébit super te in lætítia,
commótus in dilectióne sua;
exsultábit super te in laude
18 sicut in die convéntus ».

Verbum Dómini.

Vel:

Ecce dilectus meus venit saliens in montibus

Léctio libri Cántici Canticórum 2, 8-14

8 Vox dilécti mei!
Ecce iste venit
sáliens in móntibus,
transíliens colles.
9 Símilis est diléctus meus cápreæ
hinnulóque cervórum.
En ipse stat post paríetem nostrum
respíciens per fenéstras,
prospíciens per cancéllos.

10 En diléctus meus lóquitur mihi:
« Surge, amíca mea,
colúmba mea, formósa mea,
et veni.
11 Iam enim hiems tránsiit,
imber ábiit et recéssit.
12 Flores apparuérunt in terra,
tempus putatiónis advénit;
vox túrturis audíta est
in terra nostra,
13 ficus prótulit grossos suos,
víneæ floréntes dedérunt odórem suum:
surge, amíca mea,
speciósa mea, et veni,
14 colúmba mea, in foramínibus petræ,
in cavérna abrúpta.
Osténde mihi fáciem tuam,
sonet vox tua in áuribus meis;
vox enim tua dulcis,
et fácies tua decóra ».

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS Is 12, 2-3. 4bcd. 5-6 (℟.: 6b)

℟. Magnus in médio tui Sanctus Israel.

2 Ecce Deus salútis meæ;
fiduciáliter agam et non timébo,
quia fortitúdo mea et laus mea Dóminus,
et factus est mihi in salútem.
3 Et hauriétis aquas in gáudio de fóntibus salútis. ℟.

4 Confitémini Dómino et invocáte nomen eius,
notas fácite in pópulis adinventiónes eius;
mementóte quóniam excélsum est nomen eius. ℟.

5 Cantáte Dómino, quóniam magnífice fecit;
notum sit hoc in univérsa terra.
6 Exsúlta et lauda, quæ hábitas in Sion,
quia magnus in médio tui Sanctus Israel. ℟.

ALLELUIA Cf. Lc 1, 45

℟. Allelúia.

℣. Beáta es, Virgo María,
quæ credidísti quóniam perficiéntur ea,
quæ dicta sunt tibi a Dómino.

℟. Allelúia.

EVANGELIUM

Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 1, 39-56

39 Exsúrgens María in diébus illis ábiit in montána cum
festinatióne in civitátem Iudæ 40 et intrávit in domum Za-
charíæ et salutávit Elísabeth. 41 Et factum est ut audívit sa-
lutatiónem Maríæ Elísabeth, exsultávit infans in útero eius,
et repléta est Spíritu Sancto Elísabeth 42 et exclamávit voce
magna et dixit:

« Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris
tui. 43 Et unde hoc mihi, ut véniat mater Dómini mei ad me?
44 Ecce enim ut facta est vox salutatiónis tuæ in áuribus meis,
exsultávit in gáudio infans in útero meo. 45 Et beáta, quæ cré-
didit, quóniam perficiéntur ea, quæ dicta sunt ei a Dómino ».

46 Et ait María:
« Magníficat ánima mea Dóminum,
47 et exsultávit spíritus meus in Deo salvatóre meo,
48 quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ.
Ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes,
49 quia fecit mihi magna, qui potens est,
et sanctum nomen eius,
50 et misericórdia eius in progénies et progénies
timéntibus eum.
51 Fecit poténtiam in bráchio suo,
dispérsit supérbos mente cordis sui;
52 depósuit poténtes de sede
et exaltávit húmiles;
53 esuriéntes implévit bonis
et dívites dimísit inánes.
54 Suscépit Israel púerum suum,
recordátus misericórdiæ,
55 sicut locútus est ad patres nostros,
Abraham et sémini eius in sǽcula ».

56 Mansit autem María cum illa quasi ménsibus tribus
et revérsa est in domum suam.

Verbum Dómini.

TEMPUS NATIVITATIS



Natus est nobis salvator, qui est Christus Dominus

Tempore Nativitatis Ecclesia mysteria infantiæ Christi Salvatoris celebrat necnon eius primas manifestationes. Quare in hoc tempore liturgico, quod festo Baptismatis Domini finitur, includitur tamen missa de manifestatione Domini in Cana Galilææ.

Beata Virgo autem, ex Dei consilio, mysteriis infantiæ et manifestationis Salvatoris mirum in modum interfuit: cum virginaliter genuit Filium, pastoribus et magis ostendit, in templo præsentavit et obtulit Domino; cum exsul Ægyptum petiit, amissum Puerum quæsivit, in domo Nazarethana cum illo et Ioseph sponso sanctam et operosam duxit vitam; cum denique in nuptiali convivio pro sponsis rogavit Filium, qui « fecit initium signorum [...] et manifestavit gloriam suam » (*Io* 2, 11).

Formularia missarum

4. Sancta Maria, Dei genetrix.
5. Beata Maria Virgo, mater Salvatoris.
6. Beata Maria Virgo in epiphania Domini.
7. Sancta Maria in præsentatione Domini.
8. Sancta Maria de Nazareth.
9. Beata Maria Virgo de Cana.

4

SANCTA MARIA, DEI GENETRIX

LECTIO PRIMA

Misit Deus Filium suum, factum ex muliere

Léctio Epístulæ beáti Pauli apóstoli ad Gálatas 4, 4-7

Fratres:
4 Ubi venit plenitúdo témporis, misit Deus Fílium suum, fac-
tum ex mulíere, factum sub lege, 5 ut eos, qui sub lege erant,
redímeret, ut adoptiónem filiórum reciperémus.

6 Quóniam autem estis fílii, misit Deus Spíritum Fílii sui in
corda nostra clamántem: « Abba, Pater! ». 7 Itaque iam non
es servus sed fílius; quod si fílius, et heres per Deum.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS Ps 21, 4-6. 10-11. 23-24 (℟.: cf. 11b)

℟. Dómine, de ventre matris meæ Deus meus es tu.

4 Tu, Dómine, sanctus es,
qui hábitas in láudibus Israel.
5 In te speravérunt patres nostri,
speravérunt et liberásti eos;
6 ad te clamavérunt et salvi facti sunt,
in te speravérunt et non sunt confúsi. ℟.

10 Quóniam tu es qui extraxísti me de ventre,
spes mea ad úbera matris meæ.
11 In te proiéctus sum ex útero,
de ventre matris meæ Deus meus es tu. ℟.

23 Narrábo nomen tuum frátribus meis,
in médio ecclésiæ laudábo te.
24 Qui timétis Dóminum, laudáte eum,
univérsum semen Iacob, glorificáte eum.
Métuat eum omne semen Israel. ℟.

ALLELUIA

℟. Allelúia.

℣. Felix es, sacra Virgo María,
et omni laude digníssima;
quia ex te ortus est sol iustítiæ,
Christus Deus noster.

℟. Allelúia.

EVANGELIUM

Invenerunt Mariam et Ioseph et infantem positum in præsepio

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 2, 15b-19

In illo témpore:

15 Pastóres loquebántur ad ínvicem: « Transeámus usque Bé-
thlehem et videámus hoc verbum, quod factum est, quod
Dóminus osténdit nobis ».

16 Et venérunt festinántes et invenérunt Maríam et Ioseph et
infántem pósitum in præsépio. 17 Vidéntes autem notum fe-
cérunt verbum, quod dictum erat illis de púero hoc. 18 Et
omnes, qui audiérunt, miráti sunt de his, quæ dicta erant a
pastóribus ad ipsos.

19 María autem conservábat ómnia verba hæc cónferens in cor-
de suo.

Verbum Dómini.

5
BEATA MARIA VIRGO, MATER SALVATORIS

LECTIO PRIMA (App 7)
Filius datus est nobis

Léctio libri Isaíæ prophétæ 9, 1-3. 5-6

1 Pópulus, qui ambulábat in ténebris,
vidit lucem magnam;
habitántibus in regióne umbræ mortis
lux orta est eis.
2 Multiplicásti exsultatiónem
et magnificásti lætítiam;
lætántur coram te
sicut lætántes in messe,
sicut exsúltant, quando dívidunt spólia.
3 Iugum enim óneris eius
et virgam úmeri eius
et sceptrum exactóris eius
fregísti, sicut in die Mádian.

5 Párvulus enim natus est nobis,
fílius datus est nobis;
et factus est principátus super úmerum eius;
et vocábitur nomen eius
admirábilis Consiliárius, Deus fortis,
Pater æternitátis, Princeps pacis.

6 Magnum erit eius impérium,
et pacis non erit finis
super sólium David et super regnum eius,
ut confírmet illud et corróboret in iudício et iustítia
ámodo et usque in sempitérnum:
zelus Dómini exercítuum fáciet hoc.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 95, 1-2a. 2b-3. 11-12. 13 (℟.: cf. Lc 2, 11)

℟. Natus est nobis Salvátor, qui est Christus Dóminus.

1 Cantáte Dómino cánticum novum,
cantáte Dómino, omnis terra.
2 Cantáte Dómino, benedícite nómini eius. ℟.

Annuntiáte de die in diem salutáre eius.
3 Annuntiáte inter gentes glóriam eius,
in ómnibus pópulis mirabília eius. ℟.

11 Lætentur cæli et exsúltet terra,
sonet mare et plenitúdo eius;
12 gaudébunt campi et ómnia, quæ in eis sunt.
Tunc exsultábunt ómnia ligna silvárum. ℟.

13 A fácie Dómini, quia venit,
quóniam venit iudicáre terram.
Iudicábit orbem terræ in iustítia
et pópulos in veritáte sua. ℟.

ALLELUIA Cf. Lc 2, 10-11

℟. Allelúia.

℣. Evangelízo vobis gáudium magnum:
natus est nobis Salvátor, Christus Dóminus.

℟. Allelúia.

EVANGELIUM

Natus est vobis Salvator

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 2, 1-14

1 Factum est in diébus illis éxiit edíctum a Cǽsare Augústo,
ut describerétur univérsus orbis.
2 Hæc descríptio prima fac-
ta est prǽside Sýriæ Quiríno.
3 Et ibant omnes, ut profite-
réntur, sínguli in suam civitátem.

[4] Ascéndit autem et Ioseph a Galilǽa de civitáte Názareth in
Iudǽam in civitátem David, quæ vocátur Béthlehem, eo quod
esset de domo et família David, [5] ut profiterétur cum María
desponsáta sibi, uxóre prægnánte.

[6] Factum est autem cum essent ibi, impléti sunt dies, ut pá-
reret, [7] et péperit fílium suum primogénitum; et pannis eum
invólvit et reclinávit eum in præsépio, quia non erat eis lo-
cus in deversório.

[8] Et pastóres erant in regióne eádem vigilántes et custodién-
tes vigílias noctis supra gregem suum. [9] Et ángelus Dómini
stetit iuxta illos, et cláritas Dómini circumfúlsit illos, et ti-
muérunt timóre magno. [10] Et dixit illis ángelus: « Nolíte ti-
mére; ecce enim evangélizo vobis gáudium magnum, quod erit
omni pópulo, [11] quia natus est vobis hódie Salvátor, qui est
Christus Dóminus, in civitáte David. [12] Et hoc vobis signum:
inveniétis infántem pannis involútum et pósitum in præsé-
pio ». [13] Et súbito facta est cum ángelo multitúdo milítiæ cæ-
léstis laudántium Deum et dicéntium:

[14] « Glória in altíssimis Deo,
et super terram pax in homínibus bonæ voluntátis ».

Verbum Dómini.

6

BEATA MARIA VIRGO IN EPIPHANIA DOMINI

LECTIO PRIMA

Gloria Domini super te orta est

Léctio libri Isaíæ prophétæ 60, 1-6

1 Surge, illumináre, Ierúsalem,
quia venit lumen tuum,
et glória Dómini super te orta est.
2 Quia ecce ténebræ opérient terram
et calígo pópulos;
super te autem oriétur Dóminus
et glória eius in te vidébitur.

3 Et ambulábunt gentes in lúmine tuo
et reges in splendóre ortus tui.
4 Leva in circúitu óculos tuos et vide:
omnes isti congregáti sunt, venérunt tibi;
fílii tui de longe véniunt
et fíliæ tuæ in ulnis gestántur.

5 Tunc vidébis et illumináberis,
et palpitábit et dilatábitur cor tuum,
quia cónfluet ad te multitúdo maris,
fortitúdo géntium véniet tibi;
6 inundátio camelórum opériet te,
dromedárii Mádian et Epha;
omnes de Saba vénient,
aurum et tus deferéntes
et laudem Dómini annuntiántes.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 71, 1-2. 7-8. 10-11. 12-13 (℟.: cf. 11)

℟. Adorábunt te, Dómine, omnes gentes terræ.

1 Deus, iudícium tuum regi da
et iustítiam tuam fílio regis;
2 iúdicet pópulum tuum in iustítia
et páuperes tuos in iudício. ℟.

7 Florébit in diébus eius iustítia et abundántia pacis,
donec auferátur luna.
8 Et dominábitur a mari usque ad mare
et a Flúmine usque ad términos orbis terrárum. ℟.

10 Reges Tharsis et ínsulæ múnera ófferent,
reges Arabum et Saba dona addúcent.
11 Et adorábunt eum omnes reges,
omnes gentes sérvient ei. ℟.

12 Quia liberábit ínopem clamántem
et páuperem, cui non erat adiútor.
13 Parcet páuperi et ínopi
et ánimas páuperum salvas fáciet. ℟.

ALLELUIA Mt 2, 2

℟. Allelúia.

℣. Vídimus stellam eius in oriénte,
et vénimus adoráre Dóminum.

℟. Allelúia.

EVANGELIUM

Intrantes domum viderunt puerum cum Maria matre eius

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum 2, 1-12

1 Cum natus esset Iesus in Béthlehem Iudǽæ in diébus He-
ródis regis, ecce Magi ab oriénte venérunt Hierosólymam,

2 dicéntes: « Ubi est, qui natus est, rex Iudæórum? Vídimus
enim stellam eius in oriénte et vénimus adoráre eum ».

3 Audiens autem Heródes rex turbátus est et omnis Hierosó-
lyma cum illo; 4 et cóngregans omnes príncipes sacerdótum
et scribas pópuli, sciscitabátur ab eis ubi Christus nascé-
rétur.

5 At illi dixérunt ei: « In Béthlehem Iudǽæ. Sic enim scrip-
tum est per prophétam:
6 "Et tu, Béthlehem terra Iudæ,
nequáquam mínima es in princípibus Iudæ;
ex te enim éxiet dux,
qui reget pópulum meum Israel" ».

7 Tunc Heródes, clam vocátis Magis, diligénter dídicit ab eis
tempus stellæ, quæ appáruit eis, 8 et mittens illos in Béthle-
hem dixit: « Ite et interrogáte diligénter de púero; et cum
invenéritis renuntiáte mihi, ut et ego véniens adórem eum ».

9 Qui cum audíssent regem, abiérunt. Et ecce stella, quam
víderant in oriénte, antecédebat eos, usque dum véniens staret
supra, ubi erat puer. 10 Vidéntes autem stellam gavísi sunt
gáudio magno valde. 11 Et intrántes domum vidérunt púerum
cum María matre eius, et procidéntes adoravérunt eum; et
apértis thesáuris suis, obtulérunt ei múnera, aurum et tus et
myrrham.

12 Et respónso accépto in somnis, ne redírent ad Heródem, per
áliam viam revérsi sunt in regiónem suam.

Verbum Dómini.

7

SANCTA MARIA
IN PRÆSENTATIONE DOMINI

LECTIO PRIMA

Veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis

Léctio libri Malachíæ prophétæ 3, 1-4

Hæc dicit Dóminus Deus:
1 « Ecce ego mittam ángelum meum, et præparábit viam ante fáciem meam; et statim véniet ad templum suum Dominátor, quem vos quǽritis, et ángelus testaménti, quem vos vultis ».

« Ecce venit », dicit Dóminus exercítuum; 2 « et quis póterit sustinére diem advéntus eius, et quis stabit, cum apparébit? Ipse enim quasi ignis conflans et quasi herba fullónum;
3 et sedébit conflans et emúndans argéntum et purgábit fílios Levi et colábit eos quasi aurum et quasi argéntum, et erunt Dómino offérentes sacrifícia in iustítia. 4 Et placébit Dómino sacrifícium Iudæ et Ierúsalem sicut diébus prístinis et sicut annis antíquis ».

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS Ps 23, 7. 8. 9. 10 (℟.: 10b)

℟. Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.

7 Attóllite, portæ, cápita vestra,
et elevámini, portæ æternáles,
et introíbit rex glóriæ. ℟.

8 Quis est iste rex glóriæ?
Dóminus fortis et potens,
Dóminus potens in prœlio. ℟.

9 Attóllite, portæ, cápita vestra,
et elevámini, portæ æternáles,
et introíbit rex glóriæ. ℟.

10 Quis est iste rex glóriæ?
Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ. ℟.

ALLELUIA

℟. Allelúia.

℣. Virga Iesse flóruit:
Virgo Deum et hóminem génuit.
Pacem Deus réddidit,
in se reconcílians ima summis.

℟. Allelúia.

EVANGELIUM

Tuam ipsius animam pertransiet gladius

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 2, 27-35

In illo témpore:

27 Venit Símeon in Spíritu in templum. Et cum indúcerent
púerum Iesum paréntes eius, ut fácerent secúndum consue-
túdinem legis pro eo, 28 et ipse accépit eum in ulnas suas et
benedíxit Deum et dixit:

29 « Nunc dimíttis servum tuum, Dómine,
secúndum verbum tuum in pace,
30 quia vidérunt óculi mei
salutáre tuum,
31 quod parásti
ante fáciem ómnium populórum,
32 lumen ad revelatiónem géntium
et glóriam plebis tuæ Israel ».

33 Et erat pater eius et mater mirántes super his, quæ dice-
bántur de illo.

34 Et benedíxit illis Símeon et dixit ad Maríam matrem eius:
« Ecce pósitus est hic in ruínam et resurréctiónem multó-
rum in Israel et in signum, cui contradicétur
35 — et tuam
ipsíus ánimam pertránsiet gládius — ut reveléntur ex multis
córdibus cogitatiónes ».

Verbum Dómini.

8
SANCTA MARIA DE NAZARETH

*

LECTIO PRIMA

Misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege

Léctio Epístulæ beáti Pauli apóstoli ad Gálatas 4, 4-7

Fratres:

4 Ubi venit plenitúdo témporis, misit Deus Fílium suum, fac-
tum ex mulíere, factum sub lege, 5 ut eos, qui sub lege erant,
redímeret, ut adoptiónem filiórum reciperémus.

6 Quóniam autem estis fílii, misit Deus Spíritum Fílii sui in
corda nostra clamántem: « Abba, Pater! ». 7 Itaque iam non
es servus sed fílius; quod si fílius, et heres per Deum.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS Ps 130, 1. 2. 3

℟. Custódi ánimam meam in pace apud te, Dómine.

1 Dómine non est exaltátum cor meum,
neque eláti sunt óculi mei,
neque ambulávi in magnis
neque in mirabílibus super me. ℟.

2 Vere pacátam et quiétam
feci ánimam meam;
sicut ablactátus in sinu matris suæ,
sicut ablactátus, ita in me est ánima mea. ℟.

3 Speret Israel in Dómino
ex hoc nunc et usque in sǽculum. ℟.

ALLELUIA

℟. Allelúia.

℣. Virgo Dei Génetrix,
quem totus non capit orbis,
in tua se clausit víscera factus homo.

℟. Allelúia.

EVANGELIUM △

Reversi sunt in civitatem suam Nazareth.
Puer crescebat, plenus sapientia.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 2, 22. 39-40

22 Postquam impléti sunt dies purgatiónis eórum secúndum
legem Móysis, tulérunt illum in Hierosólymam, ut sísterent
Dómino.

39 Et ut perfecérunt ómnia secúndum legem Dómini, revérsi
sunt in Galilǽam in civitátem suam Názareth. 40 Puer autem
crescébat et confortábatur plenus sapiéntia; et grátia Dei
erat super illum.

Verbum Dómini.

Vel:

Descendit cum eis et venit Nazareth et erat subditus illis

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 2, 41-52

41 Ibant paréntes Iesu per omnes annos in Ierúsalem in die
festo Paschæ. 42 Et cum factus esset annórum duódecim,
ascendéntibus illis secúndum consuetúdinem diéi festi,
43 consummatísque diébus, cum redírent, remánsit puer Iesus
in Ierúsalem, et non cognovérunt paréntes eius. 44 Existimán-
tes autem illum esse in comitátu, venérunt iter diéi et requi-
rébant eum inter cognátos et notos 45 et non inveniéntes re-
gréssi sunt in Ierúsalem requiréntes eum.

46 Et factum est post tríduum invenérunt illum in templo se-
déntem in médio doctórum, audiéntem illos et interrogán-
tem eos; 47 stupébant autem omnes, qui eum audiébant, super
prudéntia et respónsis eius. 48 Et vidéntes eum admiráti sunt,
et dixit mater eius ad illum: « Fili, quid fecísti nobis sic?
Ecce pater tuus et ego doléntes quærebámus te ». 49 Et ait
ad illos: « Quid est quod me quærebátis? Nesciebátis quia
in his, quæ Patris mei sunt, opórtet me esse? ». 50 Et ipsi non
intellexérunt verbum, quod locútus est ad illos.

51 Et descéndit cum eis et venit Názareth et erat súbditus illis.
Et mater eius conservábat ómnia verba in corde suo. 52 Et
Iesus proficiébat sapiéntia et ætáte et grátia apud Deum et
hómines.

Verbum Dómini.

8

SANCTA MARIA DE NAZARETH

**

LECTIO PRIMA

Verbum Christi habitet in vobis abundanter

Léctio Epístulæ beáti Pauli apóstoli ad Colossénses 3, 12-17

Fratres:

12 Indúite vos sicut elécti Dei, sancti et dilécti, víscera mise-
ricórdiæ, benignitátem, humilitátem, mansuetúdinem, longa-
nimitátem, 13 supportántes ínvicem et donántes vobis ipsis, si
quis advérsus áliquem habet querélam; sicut et Dóminus do-
návit vobis, ita et vos; 14 super ómnia autem hæc: caritátem,
quod est vínculum perfectiónis. 15 Et pax Christi dominétur
in córdibus vestris, ad quam et vocáti estis in uno córpore. Et
grati estóte.

16 Verbum Christi hábitet in vobis abundánter, in omni sa-
piéntia docéntes et commonéntes vosmetípsos psalmis, hym-
nis, cánticis spiritálibus, in grátia cantántes in córdibus ves-
tris Deo; 17 et omne, quodcúmque fácitis in verbo aut in ópe-
re, ómnia in nómine Dómini Iesu grátias agéntes Deo Patri
per ipsum.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS Ps 83, 2-3. 5-6. 9-10 (℟.: cf. 5a)

℟. Beáti, qui hábitant in domo tua, Dómine.

2 Quam dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum!
3 Concupíscit et déficit ánima mea in átria Dómini.
Cor meum et caro mea exsultavérunt in Deum vivum. ℟.

5 Beáti, qui hábitant in domo tua:
in perpétuum laudábunt te.
6 Beátus vir, cuius est auxílium abs te,
ascensiónes in corde suo dispósuit. ℟.

9 Dómine, Deus virtútum, exáudi oratiónem meam;
áuribus pércipe, Deus Iacob.
10 Protéctor noster áspice, Deus,
et réspice in fáciem christi tui. ℟.

ALLELUIA Col 3, 15a. 16a

℟. Allelúia.

℣. Pax Christi
exsúltet in córdibus vestris;
verbum Christi
hábitet in vobis abundánter.

℟. Allelúia.

EVANGELIUM

Veniens habitavit in civitate quæ vocatur Nazareth

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
2, 13-15. 19-23

13 Cum recessíssent Magi, ecce ángelus Dómini appáret in somnis Ioseph dicens: « Surge et áccipe púerum et matrem eius et fuge in Ægýptum et esto ibi, usque dum dicam tibi; futúrum est enim ut Heródes quærat púerum ad perdéndum eum ».

14 Qui consúrgens accépit púerum et matrem eius nocte et
recéssit in Ægýptum 15 et erat ibi usque ad óbitum Heródis,
ut adimplerétur, quod dictum est a Dómino per prophétam dicéntem: « Ex Ægýpto vocávi fílium meum ».

19 Defúncto autem Heróde, ecce appáret ángelus Dómini in
somnis Ioseph in Ægýpto 20 dicens: « Surge et áccipe púe-

rum et matrem eius et vade in terram Israel; defúncti sunt
enim, qui quærébant ánimam púeri ». [21] Qui surgens accépit
púerum et matrem eius et venit in terram Israel.

22 Audiens autem quia Archeláus regnáret in Iudǽa pro He-
róde patre suo, tímuit illuc ire; et admónitus in somnis, se-
céssit in partes Galilǽæ [23] et véniens habitávit in civitáte,
quæ vocátur Názareth, ut adimplerétur, quod dictum est
per prophétas: « Nazarǽus vocábitur ».

Verbum Dómini.

9

BEATA MARIA VIRGO DE CANA

LECTIO PRIMA

Cuncta, quæ locutus est Dominus, faciemus

Léctio libri Exodi 19, 3-8a

In diébus illis:

3 Móyses ascéndit ad Deum, vocavítque eum Dóminus de monte et ait:
« Hæc dices dómui Iacob
et annuntiábis fíliis Israel:
4 Vos ipsi vidístis, quæ fécerim Ægýptiis,
quómodo portáverim vos super alas aquilárum
et addúxerim ad me.
5 Si ergo audiéritis vocem meam
et custodiéritis pactum meum,
éritis mihi in pecúlium de cunctis pópulis;
mea est enim omnis terra.
6 Et vos éritis mihi regnum sacerdótum
et gens sancta.
Hæc sunt verba, quæ loquéris ad fílios Israel ».

7 Venit Móyses et, convocátis maióribus natu pópuli, expó-
suit omnes sermónes, quos mandáverat Dóminus. 8 Respon-
dítque univérsus pópulus simul: « Cuncta, quæ locútus est
Dóminus, faciémus ».

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 118, 1-2. 10-11. 12 et 14. 15-16 (℟.: 4)

℟. Tu mandásti mandáta tua custodíri nimis.

1 Beáti immaculáti in via,
qui ámbulant in lege Dómini.
2 Beáti, qui servant testimónia eius,
in toto corde exquírunt eum. ℟.

10 In toto corde meo exquisívi te,
ne erráre me fácias a præcéptis tuis.
11 In corde meo abscóndi elóquia tua,
ut non peccem tibi. ℟.

12 Benedíctus es, Dómine;
doce me iustificatiónes tuas.
14 In via testimoniórum tuórum delectátus sum
sicut in ómnibus divítiis. ℟.

15 In mandátis tuis exercébor
et considerábo vias tuas.
16 In iustificatiónibus tuis delectábor,
non oblivíscar sermónem tuum. ℟.

ALLELUIA Cf. Lc 11, 27

℟. Allelúia.

℣. Beáti qui áudiunt verbum Dei,
et custódiunt illud;
beáta sancta María,
quæ plane fecit voluntátem Dei.

℟. Allelúia.

EVANGELIUM

Quodcumque dixerit vobis, facite

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 2, 1-11

In illo témpore:

1 Núptiæ factæ sunt in Cana Galilǽæ, et erat mater Iesu ibi;
2 vocátus est autem et Iesus et discípuli eius ad núptias.
3 Et deficiénte vino, dicit mater Iesu ad eum: « Vinum non
habent ». 4 Et dicit ei Iesus: « Quid mihi et tibi, múlier?
Nondum venit hora mea ». 5 Dicit mater eius minístris:
« Quodcúmque díxerit vobis, fácite ».

6 Erant autem ibi lapídeæ hýdriæ sex pósitæ secúndum purificatiónem Iudæórum, capiéntes síngulæ metrétas binas vel
ternas. 7 Dicit eis Iesus: « Impléte hýdrias aqua ». Et implevérunt eas usque ad summum. 8 Et dicit eis: « Hauríte nunc
et ferte architriclíno ». Illi autem tulérunt. 9 Ut autem gustávit architriclínus aquam vinum factam et non sciébat unde esset, minístri autem sciébant, qui hauríerant aquam, vocat sponsum architriclínus 10 et dicit ei: « Omnis homo primum bonum vinum ponit et, cum inebriáti fúerint, id quod detérius est; tu servásti bonum vinum usque adhuc ».

11 Hoc fecit inítium signórum Iesus in Cana Galilǽæ et manifestávit glóriam suam, et credidérunt in eum discípuli eius.

Verbum Dómini.

TEMPUS QUADRAGESIMÆ



Mater reconciliationis

Tempore Quadragesimæ fideles verbum Dei abundantius audientes, orationi vacantes, pænitentiam agentes, memoriam baptismi recolentes atque Christum sequentes in itinere crucis, ad Pascham celebrandam rite præparantur. In hoc « itinere quadragesimali » sacra liturgia beatam Virginem fidelibus proponit tamquam exemplar discipuli qui verbum Dei fideliter audit et Christi vestigia premens ad « Calvariæ locum » pergit, ut cum eo commoriatur (cf. *2 Tim* 2, 11). Expleta autem Quadragesima, in Triduo paschali beata Virgo fidelibus exhibetur ut nova Eva seu « mulier nova » quæ, apud lignum vitæ sistens (cf. *Io* 19, 25), Christo, « novo homini », est sociata, necnon ut mater spiritalis, cuius maternæ curæ Dominus cunctos discipulos commendavit (cf. *Io* 19, 26).

Formularia missarum

10. Sancta Maria, discipula Domini.
11. Beata Maria Virgo iuxta crucem Domini (I).
12. Beata Maria Virgo iuxta crucem Domini (II).
13. Commendatio beatæ Mariæ Virginis.
14. Beata Maria Virgo, mater reconciliationis.

10

SANCTA MARIA, DISCIPULA DOMINI

LECTIO PRIMA

Lætatum est cor meum in sapientia

Léctio libri Sirácidæ 51, 18-24. 27-30

18 Cum adhuc iúnior essem, priúsquam oberrárem,
quæsívi sapiéntiam palam in oratióne mea;
19 ante templum postulábam pro illa
et usque in novíssimis inquíram eam,
et efflóruit tamquam præcox uva.
20 Lætátum est cor meum in ea,
ambulávit pes meus iter rectum;
a iuventúte mea investigábam eam.
21 Inclinávi módice aurem meam et excépi illam
22 et multam invéni mihimetípsi sapiéntiam
et multum proféci in ea:
23 danti mihi sapiéntiam dabo glóriam.
24 Consiliátus sum enim, ut fácerem illam;
et quæsívi bonum et non confúndar.

27 Animam meam diréxi ad illam
et in purificatióne invéni eam.
28 Posséd i cum ipsa cor ab inítio;
propter hoc non derelínquar.
29 Venter meus conturbátus est quæréndo illam;
proptérea bonam posséd i possessiónem.
30 Dedit mihi Dóminus linguam mercédem meam,
et in ipsa laudábo eum.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 18, 8-9. 10-11. 15 (℟.: cf. Io 6, 63 c)

℟. Verba tua, Dómine, Spíritus et vita sunt.

8 Lex Dómini immaculáta, refíciens ánimam,
testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.
9 Iustítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda,
præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos. ℟.

10 Timor Dómini mundus, pérmanens in sǽculum sǽculi,
iudícia Dómini vera, iusta ómnia simul,
11 desiderabília super aurum et lápidem pretiósum multum
et dulcióra super mel et favum stillántem. ℟.

15 Sint ut compláceant elóquia oris mei
et meditátio cordis mei in conspéctu tuo.
Dómine, adiútor meus et redémptor meus. ℟.

VERSUS ANTE EVANGELIUM Cf. Lc 2, 19

Beáta Virgo María,
quæ conservábat verbum Dei,
cónferens in corde suo.

EVANGELIUM △ (App **19**)

Mater Iesu conservabat omnia verba in corde suo

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 2, 41-52

41 Ibant paréntes Iesu per omnes annos in Ierúsalem in die
festo Paschæ. 42 Et cum factus esset annórum duódecim,
ascendéntibus illis secúndum consuetúdinem diéi festi,
43 consummatísque diébus, cum redírent, remánsit puer Iesus
in Ierúsalem, et non cognovérunt paréntes eius. 44 Existimán-
tes autem illum esse in comitátu, venérunt iter diéi et requi-
rébant eum inter cognátos et notos 45 et non inveniéntes re-
gréssi sunt in Ierúsalem requiréntes eum.

46 Et factum est post tríduum invenérunt illum in templo se-
déntem in médio doctórum, audiéntem illos et interrogán-
tem eos; 47 stupébant autem omnes, qui eum audiébant, super
prudéntia et respónsis eius. 48 Et vidéntes eum admiráti sunt,
et dixit mater eius ad illum: « Fili, quid fecísti nobis sic?
Ecce pater tuus et ego doléntes quærebámus te ». 49 Et ait
ad illos: « Quid est quod me quærebátis? Nesciebátis quia
in his, quæ Patris mei sunt, opórtet me esse? ». 50 Et ipsi non
intellexérunt verbum, quod locútus est ad illos.

51 Et descéndit cum eis et venit Názareth et erat súbditus illis.
Et mater eius conservábat ómnia verba in corde suo. 52 Et
Iesus proficiébat sapiéntia et ætáte et grátia apud Deum et
hómines.

Verbum Dómini.

Vel:

Extendens manum in discipulos, dixit:
Ecce mater mea et fratres mei

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum 12, 46-50

In illo témpore:

46 Loquénte Iesu ad turbas, ecce mater et fratres eius stabant
foris quæréntes loqui ei. 47 Dixit autem ei quidam: « Ecce
mater tua et fratres tui foris stant quæréntes loqui tecum ».

48 At ille respóndens dicénti sibi ait: « Quæ est mater mea, et
qui sunt fratres mei? ».

49 Et exténdens manum suam in discípulos suos dixit: « Ecce
mater mea et fratres mei. 50 Quicúmque enim fécerit volun-
tátem Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater et soror
et mater est ».

Verbum Dómini.

11

BEATA MARIA VIRGO IUXTA CRUCEM DOMINI

I

LECTIO PRIMA (App **15**)

Filio suo non pepercit

Léctio Epístulæ beáti Pauli apóstoli ad Romános 8, 31b-39

Fratres:

31 Si Deus pro nobis, quis contra nos? 32 Qui Fílio suo non pe-
pércit, sed pro nobis ómnibus trádidit illum, quómodo non
étiam cum illo ómnia nobis donábit? 33 Quis accusábit ad-
vérsus eléctos Dei? Deus, qui iustíficat? 34 Quis est qui con-
démnet? Christus Iesus, qui mórtuus est, immo qui suscitátus
est, qui et est ad déxteram Dei, qui étiam interpéllat pro
nobis?

35 Quis nos separábit a caritáte Christi? Tribulátio an angús-
tia an persecútio an fames an núditas an perículum an glá-
dius? 36 Sicut scriptum est:
« Propter te mortificámur tota die,
æstimáti sumus ut oves occisiónis ».

37 Sed in his ómnibus supervíncimus per eum, qui diléxit nos.
38 Certus sum enim quia neque mors neque vita neque ángeli
neque principátus neque instántia neque futúra neque virtú-
tes 39 neque altitúdo neque profúndum neque ália quælibet
creatúra póterit nos separáre a caritáte Dei, quæ est in
Christo Iesu Dómino nostro.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS Ps 17, 2-3. 5-6. 7. 19-20 (℟.: 7a)

℟. In tribulatióne mea invocávi Dóminum.

2 Díligam te, Dómine, fortitúdo mea.
3 Dómine, firmaméntum meum et refúgium meum
et liberátor meus;
Deus meus, adiútor meus, et sperábo in eum;
protéctor meus et cornu salútis meæ et suscéptor meus. ℟.

5 Circumdedérunt me fluctus mortis,
et torréntes Bélial conturbavérunt me;
6 funes inférni circumdedérunt me,
præoccupavérunt me láquei mortis. ℟.

7 In tribulatióne mea invocávi Dóminum,
et ad Deum meum clamávi;
exaudívit de templo suo vocem meam,
et clamor meus in conspéctu eius introívit in aures eius. ℟.

19 Oppugnavérunt me in die afflictiónis meæ,
et factus est Dóminus fulciméntum meum;
20 et edúxit me in latitúdinem,
salvum me fecit, quóniam vóluit me. ℟.

VERSUS ANTE EVANGELIUM

Stabat sancta María,
cæli Regína et mundi Dómina,
iuxta crucem Dómini Iesu Christi dolorósa.

EVANGELIUM

Stabat iuxta crucem Iesu mater eius

 Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 19, 25-27

In illo témpore:

25 Stabant iuxta crucem Iesu mater eius et soror matris eius,
María Cléopæ, et María Magdaléne.

26 Cum vidísset ergo Iesus matrem et discípulum stantem,
quem diligébat, dicit matri: « Múlier, ecce fílius tuus ».
27 Deínde dicit discípulo: « Ecce mater tua ».

Et ex illa hora accépit eam discípulus in sua.

Verbum Dómini.

12

BEATA MARIA VIRGO IUXTA CRUCEM DOMINI

II

LECTIO PRIMA (App **1, 16**)

Subvenisti ruinam ante conspectum Dei nostri

Léctio libri Iudith 13, 17-20

In diébus illis:

17 Obstúpuit omnis pópulus valde et inclinántes se adoravé-
runt Deum et dixérunt unánimes:
« Benedíctus es, Deus noster,
qui ad níhilum redegísti inimícos pópuli tui
in hodiérna die ».

18 Et dixit ad eam Ozías:
« Benedícta tu es, fília,
a Deo excélso præ ómnibus muliéribus,
quæ sunt super terram.

Et benedíctus Dóminus Deus noster,
qui creávit cælum et terram,
qui diréxit te in vulnus cápitis príncipis
inimicórum nostrórum.
19 Quóniam non discédet laus tua
a corde hóminum memorántium virtútis Dei
usque in sempitérnum.

20 Et fáciat tibi ea Deus in exaltatiónem ætérnam,
ut vísitet te in bonis,
pro eo quod non pepercísti ánimæ tuæ
propter humilitátem géneris nostri,

sed prosilísti in ruínam nostram
in diréctum ámbulans in conspéctu Dei nostri ».

Et dixit omnis pópulus: « Fiat, fiat! ».

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS Ps 144, 1-2. 4-6. 8-9 (℟.: 9b)

℟. Miseratiónes Dómini super ómnia ópera eius.

1 Exaltábo te, Deus meus rex,
et benedícam nómini tuo
in sǽculum et in sǽculum sǽculi.
2 Per síngulos dies benedícam tibi
et laudábo nomen tuum
in sǽculum et in sǽculum sǽculi. ℟.

4 Generátio generatióni laudábit ópera tua,
et poténtiam tuam pronuntiábunt.
5 Magnificéntiam glóriæ maiestátis tuæ loquéntur
et mirabília tua enarrábunt.
6 Et virtútem terribílium tuórum dicent
et magnitúdinem tuam narrábunt. ℟.

8 Miserátor et miséricors Dóminus,
longánimis et multæ misericórdiæ.
9 Suávis Dóminus univérsis,
et miseratiónes eius super ómnia ópera eius. ℟.

VERSUS ANTE EVANGELIUM

Stabat iuxta crucem Iesu mater eius
fide muníta, spe roboráta,
igne caritátis adústa.

EVANGELIUM

Stabat iuxta crucem Iesu mater eius

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 19, 25-27

In illo témpore:

25 Stabant iuxta crucem Iesu mater eius et soror matris eius,
María Cléopæ, et María Magdaléne.

26 Cum vidísset ergo Iesus matrem et discípulum stantem,
quem diligébat, dicit matri: « Múlier, ecce fílius tuus ».
27 Deínde dicit discípulo: « Ecce mater tua ».

Et ex illa hora accépit eam discípulus in sua.

Verbum Dómini.

13
COMMENDATIO BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

LECTIO PRIMA

Mater mirabilis ... pereuntes filios conspiciens bono animo ferebat propter spem quam in Deum habebat

Léctio libri secúndi Maccabæórum 7, 1. 20-29

In diébus illis:

1 Cóntigit septem fratres una cum matre apprehénsos compélli a rege attíngere contra fas carnes porcínas, flagris et nervis cruciátos.

20 Supra modum autem mater mirábilis et bona memória digna, quæ pereúntes septem fílios sub uníus diéi témpore conspíciens bono ánimo ferébat propter spem, quam in Dóminum
habébat. 21 Síngulos illórum hortabátur voce pátria, forti repléta sensu et feminéam cogitatiónem masculíno éxcitans ánimo, dicens ad eos: 22 « Néscio quáliter in útero meo apparuístis neque ego spíritum et vitam donávi vobis et singulórum vestrórum compágem non sum ego moduláta; 23 sed enim mundi
creátor, qui formávit hóminis nativitátem quique ómnium invénit oríginem et spíritum et vitam vobis íterum cum misericórdia reddet, sicut nunc vosmetípsos despícitis propter leges eius ».

24 Antíochus autem contémni se arbitrátus, simul et exprobrántem dedígnans vocem, cum adhuc adulescéntior superésset, non solum verbis hortabátur, sed et cum iuraménto affirmábat se dívitem simul et beátum factúrum, translátum a pátriis légibus, et amícum habitúrum et offícia ei creditúrum. 25 Sed
ad hæc cum adoléscens nequáquam inténderet, vocávit rex matrem et suadébat ei, ut adulescénti fíeret suásor in salútem.

[26] Cum autem multis eam verbis esset hortátus, promísit sua-
súram se fílio. [27] Itaque inclináta ad illum, irrídens crudélem
tyránnum sic ait pátria voce: « Fili, miserére mei, quæ te in
útero novem ménsibus portávi et lac triénnio dedi et álui
et in ætátem istam perdúxi et nutrícem me tibi exhíbui. [28] Pe-
to, nate, ut aspícias ad cælum et terram et quæ in ipsis sunt,
univérsa videns intéllegas quia non ex his, quæ erant, fecit
illa Deus; et hóminum genus ita fit. [29] Ne tímeas carníficem
istum, sed dignus frátribus tuis efféctus súscipe mortem, ut
in illa miseratióne cum frátribus tuis te recípiam ».

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS Ps 17, 2-3. 5-6. 7. 19-20 (℟.: 7a)

℟. In tribulatióne mea invocávi Dóminum.

[2] Díligam te, Dómine, fortitúdo mea.
[3] Dómine, firmaméntum meum et refúgium meum
et liberátor meus;
Deus meus, adiútor meus, et sperábo in eum;
protéctor meus et cornu salútis meæ et suscéptor meus. ℟.

[5] Circumdedérunt me fluctus mortis,
et torréntes Bélial conturbavérunt me;
[6] funes inférni circumdedérunt me,
præoccupavérunt me láquei mortis. ℟.

[7] In tribulatióne mea invocávi Dóminum,
et ad Deum meum clamávi;
exaudívit de templo suo vocem meam,
et clamor meus in conspéctu eius introívit in aures eius. ℟.

[19] Oppugnavérunt me in die afflictiónis meæ,
et factus est Dóminus fulciméntum meum;
[20] et edúxit me in latitúdinem,
salvum me fecit, quóniam vóluit me. ℟.

VERSUS ANTE EVANGELIUM

Stabat iuxta crucem Mater,
spectábat piis óculis Fílii vúlnera,
per quem sciébat ómnibus futúram redemptiónem.

EVANGELIUM

Mulier, ecce filius tuus

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 19, 25-27

In illo témpore:

25 Stabant iuxta crucem Iesu mater eius et soror matris eius,
María Cléopæ, et María Magdaléne.

26 Cum vidísset ergo Iesus matrem et discípulum stantem,
quem diligébat, dicit matri: « Múlier, ecce fílius tuus ».
27 Deínde dicit discípulo: « Ecce mater tua ».

Et ex illa hora accépit eam discípulus in sua.

Verbum Dómini.

14
BEATA MARIA VIRGO MATER RECONCILIATIONIS

LECTIO PRIMA

Obsecramus pro Christo ... reconciliamini Deo

Léctio Epístulæ secúndæ beáti Pauli apóstoli ad Corínthios 5, 17-21

Fratres:

17 Si quis in Christo, nova creatúra; vétera transiérunt, ecce, facta sunt nova.

18 Omnia autem ex Deo, qui reconciliávit nos sibi per Christum
et dedit nobis ministérium reconciliatiónis, 19 quóniam qui-
dem Deus erat in Christo mundum reconcílians sibi, non ré-
putans illis delícta ipsórum, et pósuit in nobis verbum recon-
ciliatiónis.

20 Pro Christo ergo legatióne fúngimur tamquam Deo exhor-
tánte per nos: obsecrámus pro Christo, reconciliámini Deo.
21 Eum, qui non nóverat peccátum, pro nobis peccátum fecit,
ut nos efficerémur iustítia Dei in ipso.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 102, 1-2. 3-4. 8-9. 13-14. 17-18a (℟.: 1a)

℟. Bénedic, ánima mea, Dómino.

1 Bénedic, ánima mea, Dómino,
et ómnia, quæ intra me sunt, nómini sancto eius.
2 Bénedic, ánima mea, Dómino,
et noli oblivísci omnes retributiónes eius. ℟.

3 Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis,
qui sanat omnes infirmitátes tuas;
4 qui rédimit de intéritu vitam tuam,
qui corónat te in misericórdia et miseratiónibus. ℞.

8 Miserátor et miséricors Dóminus,
longánimis et multæ misericórdiæ.
9 Non in perpétuum conténdet,
neque in ætérnum irascétur. ℞.

13 Quómodo miserétur pater filiórum,
misértus est Dóminus timéntibus se.
14 Quóniam ipse cognóvit figméntum nostrum,
recordátus est quóniam pulvis sumus. ℞.

17 Misericórdia autem Dómini ab ætérno
et usque in ætérnum super timéntes eum;
et iustítia illíus in fílios filiórum,
18 in eos, qui servant testaméntum eius. ℞.

VERSUS ANTE EVANGELIUM Cf. Gen 9, 17

Crux Christi signum est fœderis
quod constítui inter me
et omnem carnem super terram.

EVANGELIUM

Ecce filius tuus. Ecce mater tua

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 19, 25-27

In illo témpore:


25 Stabant iuxta crucem Iesu mater eius et soror matris eius,
María Cléopæ, et María Magdaléne.

26 Cum vidísset ergo Iesus matrem et discípulum stantem,
quem diligébat, dicit matri: « Múlier, ecce fílius tuus ».
27 Deínde dicit discípulo: « Ecce mater tua ».

Et ex illa hora accépit eam discípulus in sua.

Verbum Dómini.

TEMPUS PASCHALE



Resurrexit qui in ligno pependerat

In « magna dominica », id est in quiquaginta dierum spatio, quo cum lætitia et exsultatione Ecclesia sacramentum paschale celebrat, liturgia Romana Christi Matrem quoque commemorat vel gaudio repletam propter Filii resurrectionem vel cum Apostolis in oratione perseverantem et cum iis Spiritus Sancti donum fidenter præstolantem (cf. *Act* 1, 14). Ecclesia autem cum, materno munere functa, sacramenta initiationis christianæ — quæ sacramenta paschalia sunt — celebrat, beatam Virginem suæ maternitatis exemplar agnoscit; sed et percipit Christi Matrem exemplar et audiutorium sibi esse in Evangelii nuntiandi munere, quod Christus, a mortuis suscitatus, ei commisit (cf. *Mt* 28, 19-20).

Formularia missarum

15. Beata Maria Virgo in resurrectione Domini.
16. Sancta Maria, fons lucis et vitæ.
17. Beata Maria Virgo a Cenaculo.
18. Beata Virgo Maria, regina Apostolorum.

15

BEATA MARIA VIRGO IN RESURRECTIONE DOMINI

LECTIO PRIMA

Vidi Ierusalem novam,
paratam sicut sponsam ornatam viro suo

Léctio libri Apocalýpsis 21, 1-5a

Ego, Ioánnes, [1] vidi cælum novum et terram novam; primum enim cælum et prima terra abiérunt, et mare iam non est.
[2] Et civitátem sanctam Ierúsalem novam vidi descendéntem de cælo a Deo, parátam sicut sponsam ornátam viro suo.

[3] Et audívi vocem magnam de throno dicéntem: « Ecce tabernáculum Dei cum homínibus! Et habitábit cum eis, et ipsi pópuli eius erunt, et ipse Deus cum eis erit eórum Deus, [4] et
abstérget omnem lácrimam ab óculis eórum, et mors ultra non erit, neque luctus neque clamor neque dolor erit ultra, quia prima abiérunt ».

[5] Et dixit, qui sedébat super throno: « Ecce nova fácio ómnia ».

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS Is 61, 10a-d. f. 11; 62, 2-3

℟. Tu es, María, cívitas Dei in qua iustítia hábitat.

[10] Gaudens gaudébo in Dómino,
et exsultábit ánima mea in Deo meo,
quia índuit me vestiméntis salútis
et induménto iustítiæ circúmdedit me,
quasi sponsam ornátam monílibus suis. ℟.

11 Sicut enim terra profert germen suum
et sicut hortus semen suum gérminat,
sic Dóminus Deus germinábit iustítiam
et laudem coram univérsis géntibus. ℟.

62,2 Et vidébunt gentes iustítiam tuam
et cuncti reges glóriam tuam;
et vocáberis nómine novo,
quod os Dómini nominábit.
3 Et eris coróna glóriæ in manu Dómini
et diadéma regni in manu Dei tui. ℟.

ALLELUIA

℟. Allelúia.

℣. Ave, sancta María,
quæ iuxta crucem pérdolens
dolóres tulísti Nati,
nunc seréno exsúltas gáudio.

℟. Allelúia.

EVANGELIUM

Dicite discipulis eius, quia surrexit

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum 28, 1-10

1 Sero post sábbatum, cum illuscéceret in primam sábbati, ve-
nit María Magdaléne et áltera María vidére sepúlcrum. 2 Et
ecce terræ motus factus est magnus: ángelus enim Dómini
descéndit de cælo et accédens revólvit lápidem et sedébat su-
per eum. 3 Erat autem aspéctus eius sicut fulgur, et vesti-
méntum eius cándidum sicut nix. 4 Præ timóre autem eius
extérriti sunt custódes et facti sunt velut mórtui.

5 Respóndens autem ángelus dixit muliéribus: « Nolíte timére
vos; scio enim quod Iesum, qui crucifíxus est, quǽritis. 6 Non
est hic: surréxit enim, sicut dixit. Veníte, vidéte locum, ubi

pósitus erat. [7] Et cito eúntes dícite discípulis eius: "Surréxit a
mórtuis et ecce præcédit vos in Galilǽam; ibi eum vidébitis".
Ecce dixi vobis ». [8] Et exeúntes cito de monuménto cum ti-
móre et magno gáudio cucurrérunt nuntiáre discípulis eius.

[9] Et ecce Iesus occúrrit illis dicens: « Avéte ». Illæ autem
accessérunt et tenuérunt pedes eius et adoravérunt eum.
[10] Tunc ait illis Iesus: « Nolíte timére; ite, nuntiáte frátribus
meis, ut eant in Galilǽam et ibi me vidébunt ».

Verbum Dómini.

16

SANCTA MARIA, FONS LUCIS ET VITÆ

LECTIO PRIMA

Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi

Léctio Actuum Apostolórum 2, 14a. 36-40a. 41-42

Die Pentecóstes, [14] stans Petrus cum Undecim levávit vocem
suam et locútus est: [36] « Certíssime sciat omnis domus Israel quia et Dóminum eum et Christum Deus fecit, hunc Iesum, quem vos crucifixístis ».

[37] His audítis, compúncti sunt corde et dixérunt ad Petrum et réliquos apóstolos: « Quid faciémus, viri fratres? ».

[38] Petrus vero ad illos: « Pæniténtiam, inquit, ágite, et baptizétur unusquísque vestrum in nómine Iesu Christi in remissiónem peccatórum vestrórum, et accipiétis donum Sancti
Spíritus; [39] vobis enim est repromíssio et szíliis vestris et ómnibus, qui longe sunt, quoscúmque advocáverit Dóminus Deus noster ».

[40] Aliis étiam verbis plúribus testificátus est et exhortabátur,
eos. [41] Qui ergo, recépto sermóne eius, baptizáti sunt; et appósitæ sunt in illa die ánimæ círciter tria mília.

[42] Erant autem perseverántes in doctrína apostolórum et communicatióne, in fractióne panis et oratiónibus.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS Ps 33, 2-3. 6-7. 8. 9 (℟.: 6a)

℟. Respícite ad Dóminum, et illumináminі.

2 Benedícam Dóminum in omni témpore,
semper laus eius in ore meo.
3 In Dómino gloriábitur ánima mea,
áudiant mansuéti et lætentur. ℟.

6 Respícite ad eum, et illumináminі
et fácies vestræ non confundéntur.
7 Iste pauper clamávit, et Dóminus exaudívit eum
et de ómnibus tribulatiónibus eius salvávit eum. ℟.

8 Vallábit ángelus Dómini in circúitu timéntes eum
et erípiet eos.
9 Gustáte et vidéte quóniam suávis est Dóminus;
beátus vir, qui sperat in eo. ℟.

ALLELUIA

℟. Allelúia.

℣. Felix es, sacra Virgo María,
quia ex te ortus est sol iustítiæ,
Christus Deus noster:
qui séquitur eum habébit lumen vitæ.

℟. Allelúia.

EVANGELIUM △

Ego lux in mundum veni

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 12, 44-50

In illo témpore:

44 Clamávit Iesus et dixit: « Qui credit in me, non credit in
me sed in eum, qui misit me; 45 et, qui videt me, videt eum,
qui misit me.

[46] Ego lux in mundum veni, ut omnis, qui credit in me, in té-
nebris non máneat. [47] Et si quis audíerit verba mea et non
custodíerit, ego non iúdico eum; non enim veni, ut iúdicem
mundum, sed ut salvíficem mundum.

[48] Qui spernit me et non áccipit verba mea, habet, qui iúdicet
eum: sermo, quem locútus sum, ille iudicábit eum in novís-
simo die, [49] quia ego ex meípso non sum locútus, sed, qui
misit me, Pater, ipse mihi mandátum dedit quid dicam et
quid loquar. [50] Et scio quia mandátum eius vita ætérna est.
Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor ».

Verbum Dómini.

Vel:

Quod natum est ex Spiritu, spiritus est

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 3, 1-6

In illo témpore:

[1] Erat homo ex pharisæis, Nicodémus nómine, princeps Iu-
dæórum; [2] hic venit ad eum nocte et dixit ei: « Rabbi, scimus
quia a Deo venísti magíster: nemo enim potest hæc signa
fácere, quæ tu facis, nisi fúerit Deus cum eo ».

[3] Respóndit Iesus et dixit ei: « Amen, amen dico tibi: Nisi
quis natus fúerit désuper, non potest vidére regnum Dei ».

[4] Dicit ad eum Nicodémus: « Quómodo potest homo nasci,
cum senex sit? Numquid potest in ventrem matris suæ ite-
ráto introíre et nasci? ».

[5] Respóndit Iesus: « Amen, amen dico tibi: Nisi quis natus
fúerit ex aqua et Spíritu, non potest introíre in regnum
Dei. [6] Quod natum est ex carne, caro est, et quod natum est
ex Spíritu, spíritus est ».

Verbum Dómini.

17

BEATA MARIA VIRGO A CENACULO

LECTIO PRIMA

Accipietis virtutem superveniente Sancto Spiritu in vos

Léctio Actuum Apostólorum 1, 6-14

Post resurrectiónem Iesu, apóstoli [6] qui convénerant, inter-
rogábant eum dicéntes: « Dómine, si in témpore hoc restí-
tues regnum Israéli? ». [7] Dixit autem eis: « Non est vestrum
nosse témpora vel moménta, quæ Pater pósuit in sua potestá-
te, [8] sed accipiétis virtútem superveniénte Sancto Spíritu in
vos et éritis mihi testes et in Ierúsalem et in omni Iudǽa et Sa-
maría et usque ad últimum terræ ».

[9] Et cum hæc dixísset, vidéntibus illis, elevátus est, et nubes
suscépit eum ab óculis eórum. [10] Cumque intueréntur in cælum
eúnte illo, ecce duo viri astitérunt iuxta illos in véstibus albis,
[11] qui et dixérunt: « Viri Galilǽi, quid statis aspiciéntes in
cælum? Hic Iesus, qui assúmptus est a vobis in cælum, sic vé-
niet quemádmodum vidístis eum eúntem in cælum ».

[12] Tunc revérsi sunt in Ierúsalem a monte, qui vocátur Olivéti,
qui est iuxta Ierúsalem sábbati habens iter. [13] Et cum in-
troíssent, in cenáculum ascendérunt, ubi manébant et Petrus
et Ioánnes et Iacóbus et Andréas, Philíppus et Thomas, Bar-
tholomǽus et Matthǽus, Iacóbus Alphǽi et Simon Zelótes et
Iudas Iacóbi.

[14] Hi omnes erant perseverántes unanímiter in oratióne cum
muliéribus et María matre Iesu et frátribus eius.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS Ps 86, 1-2. 3 et 5. 6-7 (℟.: 3)

℟. Gloriósa dicta sunt de te, cívitas Dei!

1 Fundaménta eius in móntibus sanctis;
2 díligit Dóminus portas Sion
super ómnia tabernácula Iacob. ℟.

3 Gloriósa dicta sunt de te, cívitas Dei!
5 Et de Sion dicétur: « Hic et ille natus est in ea;
et ipse firmávit eam Altíssimus ». ℟.

6 Dóminus réferet in librum populórum:
« Hi nati sunt illic ».
7 Et cantant sicut choros ducéntes:
« Omnes fontes mei in te ». ℟.

ALLELUIA Cf. Lc 2, 19

℟. Allelúia.

℣. Beáta es, Virgo María,
quæ conservábas verbum Dei,
cónferens in corde tuo.

℟. Allelúia.

EVANGELIUM (App **21**)

Mater mea et fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt et faciunt

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 8, 19-21

In illo témpore:

19 Venérunt ad Iesum mater et fratres eius, et non póterant
adíre ad eum præ turba. 20 Et nuntiátum est illi: « Mater tua
et fratres tui stant foris voléntes te vidére ».

21 Qui respóndens dixit ad eos: « Mater mea et fratres mei hi
sunt, qui verbum Dei áudiunt et fáciunt ».

Verbum Dómini.

18

BEATA VIRGO MARIA, REGINA APOSTOLORUM

LECTIO PRIMA

Erant perseverantes in oratione cum Maria, matre Iesu

Léctio Actuum Apostolórum 1, 12-14; 2, 1-4

Postquam assúmptus est Iesus in cælum, [12] revérsi sunt após-
toli in Ierúsalem a monte, qui vocátur Olivéti, qui est iuxta
Ierúsalem sábbati habens iter. [13] Et cum introíssent, in ce-
náculum ascendérunt, ubi manébant et Petrus et Ioánnes et
Iacóbus et Andréas, Philíppus et Thomas, Bartholomǽus et
Matthǽus, Iacóbus Alphǽi et Simon Zelótes et Iudas Iacóbi.

[14] Hi omnes erant perseverántes unanímiter in oratióne cum
muliéribus et María matre Iesu et frátribus eius.

[2,1] Et cum complerétur dies Pentecóstes, erant omnes páriter
in eódem loco. [2] Et factus est repénte de cælo sonus tam-
quam adveniéntis spíritus veheméntis et replévit totam do-
mum, ubi erant sedéntes. [3] Et apparuérunt illis dispertítæ lin-
guæ tamquam ignis, sedítque supra síngulos eórum; [4] et re-
pléti sunt omnes Spíritu Sancto et cœpérunt loqui áliis lin-
guis, prout Spíritus dabat éloqui illis.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS Ps 86, 1-2. 3 et 5. 6-7 (℟.: 3)

℟. Gloriósa dicta sunt de te, cívitas Dei!

[1] Fundaménta eius in móntibus sanctis;
[2] díligit Dóminus portas Sion
super ómnia tabernácula Iacob. ℟.

3 Gloriósa dicta sunt de te, cívitas Dei!
5 Et de Sion dicétur: « Hic et ille natus est in ea;
et ipse firmávit eam Altíssimus ». ℟.

6 Dóminus réferet in librum populórum:
« Hi nati sunt illic ».
7 Et cantant sicut choros ducéntes:
« Omnes fontes mei in te ». ℟.

Alleluia

℟. Allelúia.

℣. Stabat sancta María,
cæli Regína et mundi Dómina,
iuxta crucem Dómini nostri Iesu Christi dolorósa.

℟. Allelúia.

Evangelium

Dicit Iesus discipulo: Ecce mater tua

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 19, 25-27

In illo témpore:
25 Stabant iuxta crucem Iesu mater eius et soror matris eius,
María Cléopæ, et María Magdaléne.

26 Cum vidísset ergo Iesus matrem et discípulum stantem,
quem diligébat, dicit matri: « Múlier, ecce fílius tuus ».
27 Deínde dicit discípulo: « Ecce mater tua ».

Et ex illa hora accépit eam discípulus in sua.

Verbum Dómini.

TEMPUS PER ANNUM



Genetrix Christi, Mater Ecclesiæ

Tempore « per annum » sive in Calendario Romano generali sive in Calendariis Ecclesiarum particularium et Institutorum religiosorum frequens recurrit memoria de sancta Maria. Unde complura sunt in *Propriis* Ritus Romani formularia missarum de beata Virgine, quorum obiectum, quamquam unum idemque est — opus Dei in sancta Maria patratum intuitu Christi et Ecclesiæ —, tamen sub multis variisque aspectibus celebratur.

Formularia missarum temporis « per annum », ratione habita aspectus mysterii quem celebrant, « in tres sectiones sunt dispertita, quarum *prima* undecim formularia continet ad memoriam Deiparæ celebrandam sub titulis e Sacra Scriptura præsertim deductis vel eius cum Ecclesia nexum ostendentibus; *secunda* novem formularia exhibet ad memoriam Matris Domini colendam sub titulis qui eius cooperationem vitæ spiritali fidelium fovendæ significant; *tertia* octo formularia proponit ad memoriam sanctæ Mariæ celebrandam sub titulis qui eius misericordem intercessionem in favorem fidelium ostendunt » (Collectio missarum de beata Maria Virgine, I, *Prænotanda*, n. 24).

SECTIO PRIMA

Hæc sectio continet undecim formularia ad memoriam Deiparæ celebrandam sub titulis e Sacra Scriptura præsertim deductis vel eius cum Ecclesia nexum ostendentibus.

Formularia missarum

19. Sancta Maria, mater Domini.
20. Sancta Maria, mulier nova.
21. Sanctum Nomen beatæ Mariæ Virginis.
22. Sancta Maria, ancilla Domini.
23. Beata Maria Virgo, templum Domini.
24. Beata Maria Virgo, sedes Sapientiæ.
25. Beata Maria Virgo, imago et mater Ecclesiæ (I).
26. Beata Maria Virgo, imago et mater Ecclesiæ (II).
27. Beata Maria Virgo, imago et mater Ecclesiæ (III).
28. Cor immaculatum beatæ Mariæ Virginis.
29. Beata Maria Virgo, universorum regina.

19

SANCTA MARIA, MATER DOMINI

LECTIO PRIMA (App 3)

Maria, cuius venter portavit Dominum,
« Arca Domini » salutatur

Léctio libri primi Chronicórum 15, 3-4. 15-16; 16, 1-2

In diébus illis:

3 Congregávit David univérsum Israel in Ierúsalem, ut affer-
rétur arca Dómini in locum suum, quem præparáverat ei;
4 necnon et fílios Aaron et Levítas.

15 Et tulérunt fílii Levi arcam Dei, sicut præcéperat Móyses
iuxta verbum Dómini, úmeris suis in véctibus. 16 Dixítque
David princípibus Levitárum, ut constitúerent de frátribus
suis cantóres in órganis musicórum, nablis vidélicet et lyris
et cýmbalis, ut resonáret fórtiter sónitus lætítiæ.

16,1 Attulérunt ígitur arcam Dei et constituérunt eam in médio
tabernáculi, quod teténderat ei David, et obtulérunt holo-
cáusta et pacífica coram Deo. 2 Cumque complésset David
ófferens holocáusta et pacífica, benedíxit pópulo in nómine
Dómini.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS Ps 131, 11. 13-14. 17-18 (℟.: 11b)

℟. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

11 Iurávit Dóminus David veritátem
et non recédet ab ea:
« De fructu ventris tui
ponam super sedem tuam ». ℟.

13 Quóniam elégit Dóminus Sion,
desiderávit eam in habitatiónem sibi:
14 « Hæc réquies mea in sǽculum sǽculi;
hic habitábo, quóniam desiderávi eam. ℟.

17 Illic germináre fáciam cornu David,
parábo lucérnam christo meo.
18 Inimícos eius índuam confusióne,
super ipsum autem efflorébit diadéma eius ». ℟.

ALLELUIA

℟. Allelúia.

℣. Virgo Dei Génetrix,
quem totus non capit orbis,
in tua se clausit víscera factus homo.

℟. Allelúia.

EVANGELIUM

Benedictus fructus ventris tui

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 1, 39-47

39 Exsúrgens María in diébus illis ábiit in montána cum
festinatióne in civitátem Iudæ 40 et intrávit in domum Za-
charíæ et salutávit Elísabeth. 41 Et factum est ut audívit sa-
lutatiónem Maríæ Elísabeth, exsultávit infans in útero eius,
et repléta est Spíritu Sancto Elísabeth 42 et exclamávit voce
magna et dixit:

« Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris
tui. 43 Et unde hoc mihi, ut véniat mater Dómini mei ad me?
44 Ecce enim ut facta est vox salutatiónis tuæ in áuribus meis,
exsultávit in gáudio infans in útero meo. 45 Et beáta, quæ cré-
didit, quóniam perficiéntur ea, quæ dicta sunt ei a Dómino ».

46 Et ait María:
« Magníficat ánima mea Dóminum,
47 et exsultávit spíritus meus in Deo salvatóre meo ».

Verbum Dómini.

20

SANCTA MARIA, MULIER NOVA

LECTIO PRIMA (App 9, 14)

Vidi Ierusalem novam,
paratam sicut sponsam ornatam viro suo

Léctio libri Apocalýpsis 21, 1-5a

Ego, Ioánnes, [1] vidi cælum novum et terram novam; primum
enim cælum et prima terra abiérunt, et mare iam non est.
[2] Et civitátem sanctam Ierúsalem novam vidi descendéntem
de cælo a Deo, parátam sicut sponsam ornátam viro suo.

[3] Et audívi vocem magnam de throno dicéntem: « Ecce ta-
bernáculum Dei cum homínibus! Et habitábit cum eis, et ipsi
pópuli eius erunt, et ipse Deus cum eis erit eórum Deus, [4] et
abstérget omnem lácrimam ab óculis eórum, et mors ultra
non erit, neque luctus neque clamor neque dolor erit ultra,
quia prima abiérunt ».

[5] Et dixit, qui sedébat super throno: « Ecce nova fácio ómnia ».

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS Is 61, 10a-d. f. 11; 62, 2-3

℟. Tu es, María, nova terra in qua iustítia hábitat.

10 Gaudens gaudébo in Dómino,
et exsultábit ánima mea in Deo meo,
quia índuit me vestiméntis salútis
et induménto iustítiæ circúmdedit me,
quasi sponsam ornátam monílibus suis. ℟.

[11] Sicut enim terra profert germen suum
et sicut hortus semen suum gérminat,
sic Dóminus Deus germinábit iustítiam
et laudem coram univérsis géntibus. ℟.

[62,2] Et vidébunt gentes iustítiam tuam
et cuncti reges glóriam tuam;
et vocáberis nómine novo,
quod os Dómini nominábit.
[3] Et eris coróna glóriæ in manu Dómini
et diadéma regni in manu Dei tui. ℟.

ALLELUIA

℟. Allelúia.

℣. Gloriósa es, sancta María, múlier nova:
ex te novus homo, Christus Iesus, natus est.

℟. Allelúia.

EVANGELIUM △

Ave, gratia plena

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 1, 26-38

In illo témpore:
[26] Missus est ángelus Gábriel a Deo in civitátem Galilǽæ, cui
nomen Názareth, [27] ad vírginem desponsátam viro, cui no-
men erat Ioseph de domo David, et nomen vírginis María.
[28] Et ingréssus ad eam dixit: « Ave, grátia plena, Dóminus
tecum ». [29] Ipsa autem turbáta est in sermóne eius et co-
gitábat qualis esset ista salutátio.
[30] Et ait ángelus ei: « Ne tímeas, María; invenísti enim grá-
tiam apud Deum. [31] Et ecce concípies in útero et páries fí-
lium, et vocábis nomen eius Iesum. [32] Hic erit magnus et
Fílius Altíssimi vocábitur, et dabit illi Dóminus Deus sedem

David patris eius, [33] et regnábit super domum Iacob in ætér-
num, et regni eius non erit finis ».

[34] Dixit autem María ad ángelum: « Quómodo fiet istud, quó-
niam virum non cognósco? ».

[35] Et respóndens ángelus dixit ei: « Spíritus Sanctus super-
véniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi: ideóque
et quod nascétur sanctum, vocábitur Fílius Dei. [36] Et ecce
Elísabeth cognáta tua et ipsa concépit fílium in senécta
sua, et hic mensis est sextus illi, quæ vocátur stérilis, [37] quia
non erit impossíbile apud Deum omne verbum ».

[38] Dixit autem María: « Ecce ancílla Dómini; fiat mihi secún-
dum verbum tuum ». Et discéssit ab illa ángelus.

Verbum Dómini.

Vel:

Dicit mater Iesu ministris:
quodcumque dixerit vobis, facite

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 2, 1-11

In illo témpore:

[1] Núptiæ factæ sunt in Cana Galilǽæ, et erat mater Iesu ibi;
[2] vocátus est autem et Iesus et discípuli eius ad núptias.
[3] Et deficiénte vino, dicit mater Iesu ad eum: « Vinum non
habent ». [4] Et dicit ei Iesus: « Quid mihi et tibi, múlier?
Nondum venit hora mea ». [5] Dicit mater eius minístris:
« Quodcúmque díxerit vobis, fácite ».

[6] Erant autem ibi lapídeæ hýdriæ sex pósitæ secúndum purifi-
catiónem Iudæórum, capiéntes síngulæ metrétas binas vel
ternas. [7] Dicit eis Iesus: « Impléte hýdrias aqua ». Et imple-
vérunt eas usque ad summum. [8] Et dicit eis: « Hauríte nunc
et ferte architriclíno ». Illi autem tulérunt. [9] Ut autem gus-
távit architriclínus aquam vinum factam et non sciébat un-

de esset, minístri autem sciébant, qui hauríerant aquam, vocat sponsum architriclínus [10] et dicit ei: « Omnis homo primum bonum vinum ponit et, cum inebriáti fúerint, id quod detérius est; tu servásti bonum vinum usque adhuc ».

11 Hoc fecit inítium signórum Iesus in Cana Galilǽæ et manifestávit glóriam suam, et credidérunt in eum discípuli eius.

Verbum Dómini.

21
SANCTUM NOMEN BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

LECTIO PRIMA

Memoria mea in generationes sæculorum

Léctio libri Sirácidæ 24, 23-31

23 Ego quasi vitis germinávi grátiam,
et flores mei fructus honóris et honestátis.
24 Ego mater pulchræ dilectiónis et timóris
et agnitiónis et sanctæ spei.
25 In me grátia omnis viæ et veritátis,
in me omnis spes vitæ et virtútis.
26 Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me,
et a generatiónibus meis impleémini.
27 Doctrína enim mea super mel dulcis,
et heréditas mea super mel et favum;
28 memória mea in generatiónes sæculórum.
29 Qui edunt me, adhuc esúrient;
et, qui bibunt me, adhuc sítient.
30 Qui audit me, non confundétur;
et, qui operántur in me, non peccábunt:
31 qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Lc 1, 46-48. 49-50. 53-54 (℟.: cf. Is 61, 10b)

℟. Exsúltat ánima mea in Deo meo.

46 Magníficat ánima mea Dóminum,
47 et exsultávit spíritus meus in Deo salvatóre meo,
48 quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ.
Ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes. ℟.

49 Quia fecit mihi magna, qui potens est,
et sanctum nomen eius,
50 et misericórdia eius in progénies et progénies
timéntibus eum. ℟.

53 Esuriéntes implévit bonis
et dívites dimisít inánes.
54 Suscépit Israel púerum suum,
recordátus misericórdiæ. ℟.

ALLELUIA Cf. 1, 28

℟. Allelúia.

℣. Ave, María, grátia plena,
Dóminus tecum,
benedícta tu in muliéribus.

℟. Allelúia.

EVANGELIUM

Et nomen Virginis Maria

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 1, 26-38

In illo témpore:

26 Missus est ángelus Gábriel a Deo in civitátem Galilǽæ, cui
nomen Názareth, 27 ad vírginem desponsátam viro, cui no-
men erat Ioseph de domo David, et nomen vírginis María.

28 Et ingréssus ad eam dixit: « Ave, grátia plena, Dóminus
tecum ». 29 Ipsa autem turbáta est in sermóne eius et co-
gitábat qualis esset ista salutátio.

30 Et ait ángelus ei: « Ne tímeas, María; invenísti enim grá-
tiam apud Deum. 31 Et ecce concípies in útero et páries fí-
lium, et vocábis nomen eius Iesum. 32 Hic erit magnus et
Fílius Altíssimi vocábitur, et dabit illi Dóminus Deus sedem
David patris eius, 33 et regnábit super domum Iacob in ætér-
num, et regni eius non erit finis ».

34 Dixit autem María ad ángelum: « Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? ».

35 Et respóndens ángelus dixit ei: « Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi: ideóque
et quod nascétur sanctum, vocábitur Fílius Dei. 36 Et ecce
Elísabeth cognáta tua et ipsa concépit fílium in senécta
sua, et hic mensis est sextus illi, quæ vocátur stérilis, 37 quia
non erit impossíbile apud Deum omne verbum ».

38 Dixit autem María: « Ecce ancílla Dómini; fiat mihi secúndum verbum tuum ». Et discéssit ab illa ángelus.

Verbum Dómini.

22

SANCTA MARIA, ANCILLA DOMINI

LECTIO PRIMA

Steti orans Dominum et dedit mihi Dominus petitionem meam

Léctio libri primi Samuélis 1, 24-28; 2, 1-2. 4-8

24 Anna addúxit Sámuel secum, postquam ablactáverat, cum
vítulo trium annórum et tribus módiis farínæ et utre vini; et
addúxit eum ad domum Dómini in Silo. Puer autem erat
adhuc infántulus. 25 Et immolavérunt vítulum et obtulérunt
púerum Heli, 26 et ait Anna: « Obsecro, mi dómine, vivit ánima
tua, dómine; ego sum illa múlier, quæ steti coram te hic
orans Dóminum. 27 Pro púero isto orávi, et dedit mihi Dómi-
nus petitiónem meam, quam postulávi eum. 28 Idcírco et ego
commodávi eum Dómino; cunctis diébus, quibus vivet, pos-
tulátus erit pro Dómino ».

Et adoravérunt ibi Dóminum.

2,1 Et orávit Anna et ait:
« Exsultávit cor meum in Dómino,
exaltátum est cornu meum in Deo meo;
dilatátum est os meum super inimícos meos.
quóniam lætáta sum in salutári tuo.
2 Non est sanctus ut est Dóminus;
neque enim est álius extra te,
et non est fortis sicut Deus noster.

4 Arcus fórtium confráctus est,
et infírmi accínti sunt róbore.
5 Saturáti prius pro pane se locavérunt,
et famélici non eguérunt ámplius.

Stérilis péperit plúrimos,
et, quæ multos habébat fílios, emárcuit.

6 Dóminus mortíficat et vivíficat,
dedúcit ad inférnum et redúcit.
7 Dóminus páuperem facit et ditat,
humíliat et súblevat;
8 súscitat de púlvere egénum
et de stércore élevat páuperem,
ut sédeat cum princípibus
et sólium glóriæ téneat.
Dómini enim sunt cárdines terræ,
et pósuit super eos orbem ».

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Lc 1, 46-48a. 48b-49. 50-51. 52-53. 54-55 (℟.: cf. 48a)

℟. Respéxit Dóminus humilitátem ancíllæ suæ.

46 Magníficat ánima mea Dóminum,
47 et exsultávit spíritus meus in Deo salvatóre meo,
48 quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ. ℟.

Ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes,
49 quia fecit mihi magna, qui potens est,
et sanctum nomen eius. ℟.

50 Et misericórdia eius in progénies et progénies
timéntibus eum.
51 Fecit poténtiam in bráchio suo,
dispérsit supérbos mente cordis sui. ℟.

52 Depósuit poténtes de sede
et exaltávit húmiles;
53 esuriéntes implévit bonis
et dívites dimísit inánes. ℟.

54 Suscépit Israel púerum suum,
recordátus misericórdiæ,
55 sicut locútus est ad patres nostros,
Abraham et sémini eius in sǽcula. ℟.

ALLELUIA

℟. Allelúia.

℣. Beáta es, Virgo María,
quæ ancíllam Dómini te dixísti:
nunc, super choros angelórum exaltátam,
cæli Regínam te salútat Ecclésia.

℟. Allelúia.

EVANGELIUM

Ecce ancilla Domini

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 1, 26-38

In illo témpore:

26 Missus est ángelus Gábriel a Deo in civitátem Galilǽæ, cui
nomen Názareth, 27 ad vírginem desponsátam viro, cui no-
men erat Ioseph de domo David, et nomen vírginis María.

28 Et ingréssus ad eam dixit: « Ave, grátia plena, Dóminus
tecum ». 29 Ipsa autem turbáta est in sermóne eius et co-
gitábat qualis esset ista salutátio.

30 Et ait ángelus ei: « Ne tímeas, María; invenísti enim grá-
tiam apud Deum. 31 Et ecce concípies in útero et páries fí-
lium, et vocábis nomen eius Iesum. 32 Hic erit magnus et
Fílius Altíssimi vocábitur, et dabit illi Dóminus Deus sedem
David patris eius, 33 et regnábit super domum Iacob in ætér-
num, et regni eius non erit finis ».

34 Dixit autem María ad ángelum: « Quómodo fiet istud, quó-
niam virum non cognósco? ».

35 Et respóndens ángelus dixit ei: « Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi: ideóque et quod nascétur sanctum, vocábitur Fílius Dei.
36 Et ecce Elísabeth cognáta tua et ipsa concépit fílium in senécta sua, et hic mensis est sextus illi, quæ vocátur stérilis,
37 quia non erit impossíbile apud Deum omne verbum ».

38 Dixit autem María: « Ecce ancílla Dómini; fiat mihi secúndum verbum tuum ». Et discéssit ab illa ángelus.

Verbum Dómini.

23
BEATA MARIA VIRGO, TEMPLUM DOMINI

LECTIO PRIMA △ (App 2)

Nebula implevit templum Domini

Léctio libri primi Regum 8, 1. 3-7. 9-11

In diébus illis:

1 Congregávit Sálomon omnes maióres natu Israel — omnes
príncipes tríbuum, duces familiárum filiórum Israel ad regem
Salomónem — in Ierúsalem, ut deférrent arcam fœ́deris Dó-
mini de civitáte David, id est de Sion. 3 Venerúntque cuncti
senes Israel, et tulérunt sacerdótes arcam 4 et portavérunt
arcam Dómini et tabernáculum convéntus et ómnia vasa sanc-
tuárii, quæ erant in tabernáculo; et ferébant ea sacerdótes
et Levítæ.

5 Rex autem Sálomon et univérsus cœtus Israel, qui convé-
nerat ad eum, cum illo ante arcam immolábant oves et boves
absque æstimatióne et número. 6 Et intulérunt sacerdótes ar-
cam fœ́deris Dómini in locum suum in Dabir templi, in sanc-
tum sanctórum, subter alas chérubim; 7 síquidem chérubim
expandébant alas super locum arcæ et protegébant arcam et
vectes eius désuper. 9 In arca autem non erat áliud nisi duæ
tábulæ lapídeæ, quas posúerat in ea Móyses in Horeb, quando
pépigit Dóminus fœdus cum fíliis Israel, cum egrederéntur
de terra Ægýpti.

10 Factum est autem cum exíssent sacerdótes de sanctuário,
nébula implévit domum Dómini, 11 et non póterant sacer-
dótes stare et ministráre propter nébulam; impléverat enim
glória Dómini domum Dómini.

Verbum Dómini.

Vel:

Ecce tabernaculum Dei cum hominibus

Léctio libri Apocalýpsis 21, 1-5a

Ego, Ioánnes, [1] vidi cælum novum et terram novam; primum
enim cælum et prima terra abiérunt, et mare iam non est.
[2] Et civitátem sanctam Ierúsalem novam vidi descendéntem
de cælo a Deo, parátam sicut sponsam ornátam viro suo.

[3] Et audívi vocem magnam de throno dicéntem: « Ecce ta-
bernáculum Dei cum homínibus! Et habitábit cum eis, et ipsi
pópuli eius erunt, et ipse Deus cum eis erit eórum Deus, [4] et
abstérget omnem lácrimam ab óculis eórum, et mors ultra
non erit, neque luctus neque clamor neque dolor erit ultra,
quia prima abiérunt ».

[5] Et dixit, qui sedébat super throno: « Ecce nova fácio ómnia ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 83, 3. 4. 5 et 10. 11 (℟.: Ap 21, 3b)

℟. Ecce tabernáculum Dei cum homínibus.

[3] Concupíscit et déficit ánima mea in átria Dómini.
Cor meum et caro mea exsultavérunt in Deum vivum. ℟.

[4] Etenim passer invénit sibi domum,
et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos:
altária tua, Dómine virtútum, rex meus et Deus meus. ℟.

[5] Beáti, qui hábitant in domo tua:
in perpétuum laudábunt te.
[10] Protéctor noster áspice, Deus,
et réspice in fáciem christi tui. ℟.

[11] Quia mélior est dies una in átriis tuis super mília,
elégi ad limen esse in domo Dei mei
magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum. ℟.

ALLELUIA

℟. Allelúia.

℣. Ave, sancta María, templum iustítiæ,
nobis peccatóribus templum pietátis.
Ave, templum plenum Sancti Spíritus,
quod elégit Pater Fílio.

℟. Allelúia.

EVANGELIUM

Virtus Altissimi obumbrabit tibi

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 1, 26-38

In illo témpore:

26 Missus est ángelus Gábriel a Deo in civitátem Galilǽæ, cui
nomen Názareth, 27 ad vírginem desponsátam viro, cui no-
men erat Ioseph de domo David, et nomen vírginis María.

28 Et ingréssus ad eam dixit: « Ave, grátia plena, Dóminus
tecum ». 29 Ipsa autem turbáta est in sermóne eius et co-
gitábat qualis esset ista salutátio.

30 Et ait ángelus ei: « Ne tímeas, María; invenísti enim grá-
tiam apud Deum. 31 Et ecce concípies in útero et páries fí-
lium, et vocábis nomen eius Iesum. 32 Hic erit magnus et
Fílius Altíssimi vocábitur, et dabit illi Dóminus Deus sedem
David patris eius, 33 et regnábit super domum Iacob in ætér-
num, et regni eius non erit finis ».

34 Dixit autem María ad ángelum: « Quómodo fiet istud, quó-
niam virum non cognósco? ».

35 Et respóndens ángelus dixit ei: « Spíritus Sanctus super-
véniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi: ideóque
et quod nascétur sanctum, vocábitur Fílius Dei. 36 Et ecce
Elísabeth cognáta tua et ipsa concépit fílium in senécta

sua, et hic mensis est sextus illi, quæ vocátur stérilis, [37] quia non erit impossíbile apud Deum omne verbum ».

[38] Dixit autem María: « Ecce ancílla Dómini; fiat mihi secúndum verbum tuum ». Et discéssit ab illa ángelus.

Verbum Dómini.

24

BEATA VIRGO MARIA, SEDES SAPIENTIÆ

LECTIO PRIMA △

Maria, sedes Sapientiæ

Léctio libri Proverbiórum 8, 22-31

Hæc lóquitur Sapiéntia Dei:

22 Dóminus possédit me in inítio viárum suárum,
ántequam quidquam fáceret a princípio;
23 ab ætérno ordináta sum
et ex antíquis, ántequam terra fíeret.

24 Nondum erant abýssi, et ego iam concépta eram,
necdum fontes graves aquis,
25 priúsquam montes demergeréntur,
ante colles ego parturiébar.
26 Adhuc terram non fécerat et campos
et inítium glebæ orbis terræ.

27 Quando præparábat cælos, áderam,
quando certa lege et gyro vallábat abýssos,
28 quando nubes firmábat sursum,
et prævaluérunt fontes abýssi,
29 quando circúmdabat mari términum suum
et aquis, ne transírent fines suos,
quando certa lege et gyro vallábat abýssos,
30 cum eo eram ut ártifex:
delectátio eius per síngulos dies
ludens coram eo omni témpore,
31 ludens in orbe terrárum,
et delíciæ meæ esse cum fíliis hóminum.

Verbum Dómini.

Vel:

Maria, sedes Sapientiæ

Léctio libri Sirácidæ 24, 1-2. 5-7. 12-16. 26-31

1 Sapiéntia laudábit ánimam suam et in Deo honorábitur
et in médio pópuli sui gloriábitur
2 et in ecclésia Altíssimi apériet os suum
et in conspéctu virtútis illíus gloriábitur.

5 Ego ex ore Altíssimi prodívi,
primogénita ante omnem creatúram.
6 Ego feci in cælis, ut orirétur lumen indefíciens,
et sicut nébula texi omnem terram.
7 Ego in altíssimis habitávi,
et thronus meus in colúmna nubis.

12 Tunc præcépit et dixit mihi Creátor ómnium
et, qui creávit me, quiétem dedit tabernáculo meo
13 et dixit mihi: « In Iacob inhábita
et in Israel hereditáre
et in eléctis meis mitte radíces ».

14 Ab inítio ante sǽcula creáta sum
et usque ad futúrum sǽculum non désinam.
15 Et in tabernáculo sancto coram ipso ministrávi,
et sic in Sion firmáta sum
et in civitáte simíliter dilécta requiévi,
et in Ierúsalem potéstas mea.
16 Et radicávi in pópulo honorificáto
et in parte Dómini, in hereditáte illíus,
et in plenitúdine sanctórum deténtio mea.

26 Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me,
et a generatiónibus meis impleámini.
27 Doctrína enim mea super mel dulcis,
et heréditas mea super mel et favum;
28 memória mea in generatiónes sæculórum.

29 Qui edunt me, adhuc esúrient;
et, qui bibunt me, adhuc sítient.
30 Qui audit me, non confundétur;
et, qui operántur in me, non peccábunt:
31 qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 147, 12-13. 14-15. 19-20 (℟.: Io 1, 14)

℟. Verbum caro factum est, et habitávit in nobis.

12 Lauda, Ierúsalem, Dóminum;
colláuda Deum tuum, Sion.
13 Quóniam confortávit seras portárum tuárum,
benedíxit fíliis tuis in te. ℟.

14 Qui ponit fines tuos pacem
et ádipe fruménti sátiat te.
15 Qui emíttit elóquium suum terræ,
velóciter currit verbum eius. ℟.

19 Qui annúntiat verbum suum Iacob,
iustítias et iudícia sua Israel.
20 Non fecit táliter omni natióni,
et iudícia sua non manifestávit eis. ℟.

ALLELUIA

℟. Allelúia.

℣. O felix Virgo, quæ Dóminum genuísti,
o beáta sedes Sapiéntiæ,
quæ in nobis foves Spíritum fílii tui Iesu Christi.

℟. Allelúia.

EVANGELIUM △ △

Intrantes domum viderunt puerum cum Maria matre eius

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum 2, 1-12

1 Cum natus esset Iesus in Béthlehem Iudǽæ in diébus He-
ródis regis, ecce Magi ab oriénte venérunt Hierosólymam,
2 dicéntes: « Ubi est, qui natus est, rex Iudæórum? Vídimus
enim stellam eius in oriénte et vénimus adoráre eum ».

3 Audiens autem Heródes rex turbátus est et omnis Hiero-
sólyma cum illo; 4 et cóngregans omnes príncipes sacerdó-
tum et scribas pópuli, sciscitabátur ab eis ubi Christus na-
scerétur.

5 At illi dixérunt ei: « In Béthlehem Iudǽæ. Sic enim scriptum
est per prophétam:
6 " Et tu, Béthlehem terra Iudæ,
nequáquam mínima es in princípibus Iudæ;
ex te enim éxiet dux,
qui reget pópulum meum Israel" ».

7 Tunc Heródes, clam vocátis Magis, diligénter dídicit ab eis
tempus stellæ, quæ appáruit eis, 8 et mittens illos in Béth-
lehem dixit: « Ite et interrogáte diligénter de púero; et cum
invenéritis renuntiáte mihi, ut et ego véniens adórem eum ».

9 Qui cum audíssent regem, abiérunt. Et ecce stella, quam
víderant in oriénte, antecédebat eos, usque dum véniens
staret supra, ubi erat puer. 10 Vidéntes autem stellam ga-
vísi sunt gáudio magno valde. 11 Et intrántes domum vidé-
runt púerum cum María matre eius, et procidéntes adora-
vérunt eum; et apértis thesáuris suis, obtulérunt ei mú-
nera, aurum et tus et myrrham.

12 Et respónso accépto in somnis, ne redírent ad Heródem,
per áliam viam revérsi sunt in regiónem suam.

Verbum Dómini.

Vel:

Conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 2, 15b-19

In illo témpore:

15 Pastóres loquebántur ad ínvicem: « Transeámus usque Béthlehem et videámus hoc verbum, quod factum est, quod Dóminus osténdit nobis ».

16 Et venérunt festinántes et invenérunt Maríam et Ioseph et
infántem pósitum in præsépio. 17 Vidéntes autem notum fe-
cérunt verbum, quod dictum erat illis de púero hoc. 18 Et
omnes, qui audiérunt, miráti sunt de his, quæ dicta erant a
pastóribus ad ipsos.

19 María autem conservábat ómnia verba hæc cónferens in corde suo.

Verbum Dómini.

Vel:

Maria optimam partem elegit

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 10, 38-42

In illo témpore:

38 Intrávit Iesus in quoddam castéllum, et múlier quædam
Martha nómine excépit illum. 39 Et huic erat soror nómine
María, quæ étiam sedens secus pedes Dómini audiébat verbum illíus.

40 Martha autem satagébat circa frequens ministérium; quæ stetit et ait: « Dómine, non est tibi curæ quod soror mea relíquit me solam ministráre? Dic ergo illi, ut me ádiuvet ».

41 Et respóndens dixit illi Dóminus: « Martha, Martha, sollí-
cita es et turbáris erga plúrima, 42 porro unum est neces-
sárium; María enim óptimam partem elégit, quæ non auferétur ab ea ».

Verbum Dómini.

25

BEATA MARIA VIRGO IMAGO ET MATER ECCLESIÆ

I

LECTIO PRIMA

Inimicitias ponam inter semen tuum et semen mulieris

Léctio libri Génesis 3, 9-15. 20

Postquam comédit homo de ligno, 9 vocávit Dóminus Deus
Adam et dixit ei: « Ubi es? ».

10 Qui ait: « Vocem tuam audívi in paradíso et tímui eo quod nudus essem et abscóndi me ».

11 Cui dixit: « Quis enim indicávit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo tibi præcéperam, ne coméderes, comedísti? ».

12 Dixítque homo: « Múlier, quam dedísti sóciam mihi, ipsa dedit mihi de ligno, et comédi ».

13 Et dixit Dóminus Deus ad mulíerem: « Quid hoc fecísti? ».

Quæ respóndit: « Serpens decépit me, et comédi ».

14 Et ait Dóminus Deus ad serpéntem:
« Quia fecísti hoc,
maledíctus es inter ómnia pécora
et omnes béstias agri!
Super pectus tuum gradiéris
et púlverem cómedes cunctis diébus vitæ tuæ.
15 Inimicítias ponam inter te et mulíerem
et semen tuum et semen illíus;

ipsum cónteret caput tuum,
et tu cónteres calcáneum eius ».

20 Et vocávit Adam nomen uxóris suæ Heva, eo quod mater
esset cunctórum vivéntium.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS Iudt 13, 18bcde. 19 (℟.: 15, 9d)

℟. Tu laus magna géneris nostri.

18 Benedícta tu es, fília, a Deo excélso
præ ómnibus muliéribus, quæ sunt super terram.
Et benedíctus Dóminus Deus noster,
qui creávit cælum et terram. ℟.

19 Quóniam non discédet laus tua
a corde hóminum memorántium virtútis Dei
usque in sempitérnum. ℟.

ALLELUIA

℟. Allelúia.

℣. Felix es, sacra Virgo María,
et omni laude digníssima;
quia ex te ortus est sol iustítiæ,
Christus Deus noster.

℟. Allelúia.

EVANGELIUM

Ecce filius tuus. Ecce mater tua

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 19, 25-27

In illo témpore:

25 Stabant iuxta crucem Iesu mater eius et soror matris eius,
María Cléopæ, et María Magdaléne.

26 Cum vidísset ergo Iesus matrem et discípulum stantem,
quem diligébat, dicit matri: « Múlier, ecce fílius tuus ».

27 Deínde dicit discípulo: « Ecce mater tua ».

Et ex illa hora accépit eam discípulus in sua.

Verbum Dómini.

26

BEATA MARIA VIRGO IMAGO ET MATER ECCLESIÆ

II

LECTIO PRIMA

Erant perseverantes in oratione cum Maria, matre Iesu

Léctio Actuum Apostolórum 1, 12-14

Postquam assúmptus est Iesus in cælum, [12] revérsi sunt apóstoli in Ierúsalem a monte, qui vocatur Olivéti, qui est iuxta Ierúsalem sábbati habens iter. [13] Et cum introíssent, in cenáculum ascendérunt, ubi manébant et Petrus et Ioánnes et Iacóbus et Andréas, Philíppus et Thomas, Bartholomæus et Matthæus, Iacóbus Alphæi et Simon Zelótes et Iudas Iacóbi.

[14] Hi omnes erant perseverántes unanímiter in oratióne cum muliéribus et María matre Iesu et frátribus eius.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS Ps 86, 1-2. 3 et 5. 6-7 (℟.: 3)

℟. Gloriósa dicta sunt de te, cívitas Dei!

[1] Fundaménta eius in móntibus sanctis;
[2] díligit Dóminus portas Sion
super ómnia tabernácula Iacob. ℟.

[3] Gloriósa dicta sunt de te, cívitas Dei!
[5] Et de Sion dicétur: « Hic et ille natus est in ea;
et ipse firmávit eam Altíssimus ». ℟.

6 Dóminus réferet in librum populórum:
« Hi nati sunt illic ».
7 Et cantant sicut choros ducéntes:
« Omnes fontes mei in te ». ℟.

ALLELUIA

℟. Allelúia.

℣. O felix Virgo, quæ Dóminum genuísti;
o beáta Mater Ecclésiæ,
quæ in nobis foves Spíritum
Fílii tui Iesu Christi!

℟. Allelúia.

EVANGELIUM

Erat Mater Iesu ibi. Et crediderunt in eum discipuli eius

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 2, 1-11

In illo témpore:
1 Núptiæ factæ sunt in Cana Galilǽæ, et erat mater Iesu ibi;
2 vocátus est autem et Iesus et discípuli eius ad núptias.
3 Et deficiénte vino, dicit mater Iesu ad eum: « Vinum non
habent ». 4 Et dicit ei Iesus: « Quid mihi et tibi, múlier?
Nondum venit hora mea ». 5 Dicit mater eius minístris:
« Quodcúmque díxerit vobis, fácite ».

6 Erant autem ibi lapídeæ hýdriæ sex pósitæ secúndum purifi-
catiónem Iudæórum, capiéntes síngulæ metrétas binas vel
ternas. 7 Dicit eis Iesus: « Impléte hýdrias aqua ». Et imple-
vérunt eas usque ad summum. 8 Et dicit eis: « Hauríte nunc
et ferte architriclíno ». Illi autem tulérunt. 9 Ut autem gus-
távit architriclínus aquam vinum factam et non sciébat un-
de esset, minístri autem sciébant, qui hauríerant aquam, vo-
cat sponsum architriclínus 10 et dicit ei: « Omnis homo pri-

mum bonum vinum ponit et, cum inebriáti fúerint, id quod
detérius est; tu servásti bonum vinum usque adhuc ».

11 Hoc fecit inítium signórum Iesus in Cana Galilǽæ et mani-
festávit glóriam suam, et credidérunt in eum discípuli eius.

Verbum Dómini.

27

BEATA MARIA VIRGO
IMAGO ET MATER ECCLESIÆ
III

LECTIO PRIMA

Vidi Ierusalem novam,
paratam sicut sponsam ornatam viro suo

Léctio libri Apocalýpsis 21, 1-5a

Ego, Ioánnes, [1] vidi cælum novum et terram novam; pri-
mum enim cælum et prima terra abiérunt, et mare iam non
est. [2] Et civitátem sanctam Ierúsalem novam vidi descen-
déntem de cælo a Deo, parátam sicut sponsam ornátam vi-
ro suo.

[3] Et audívi vocem magnam de throno dicéntem: « Ecce ta-
bernáculum Dei cum homínibus! Et habitábit cum eis, et
ipsi pópuli eius erunt, et ipse Deus cum eis erit eórum Deus,
[4] et abstérget omnem lácrimam ab óculis eórum, et mors
ultra non erit, neque luctus neque clamor neque dolor erit
ultra, quia prima abiérunt ».

[5] Et dixit, qui sedébat super throno: « Ecce nova fácio ómnia ».

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS Is 12, 2-3. 4bcd. 5-6 (℟.: 6b)

℟. Magnus in médio tui Sanctus Israel.

[2] Ecce Deus salútis meæ;
fiduciáliter agam et non timébo,
quia fortitúdo mea et laus mea Dóminus,
et factus est mihi in salútem.
[3] Et hauriétis aquas in gáudio de fóntibus salútis. ℟.

[4] Confitémini Dómino et invocáte nomen eius,
notas fácite in pópulis adinventiónes eius;
mementóte quóniam excélsum est nomen eius. ℟.

[5] Cantáte Dómino, quóniam magnífice fecit;
notum sit hoc in univérsa terra.
[6] Exsúlta et lauda, quæ hábitas in Sion,
quia magnus in médio tui Sanctus Israel. ℟.

ALLELUIA Cf. Lc 1, 28

℟. Allelúia.

℣. Ave, María, grátia plena,
Dóminus tecum,
benedícta tu in muliéribus.

℟. Allelúia.

EVANGELIUM

Regnabit in domo Iacob in æternum

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 1, 26-38

In illo témpore:
[26] Missus est ángelus Gábriel a Deo in civitátem Galilǽæ, cui
nomen Názareth, [27] ad vírginem desponsátam viro, cui no-
men erat Ioseph de domo David, et nomen vírginis María.
[28] Et ingréssus ad eam dixit: « Ave, grátia plena, Dóminus
tecum ». [29] Ipsa autem turbáta est in sermóne eius et co-
gitábat qualis esset ista salutátio.
[30] Et ait ángelus ei: « Ne tímeas, María; invenísti enim grá-
tiam apud Deum. [31] Et ecce concípies in útero et páries fí-
lium, et vocábis nomen eius Iesum. [32] Hic erit magnus et
Fílius Altíssimi vocábitur, et dabit illi Dóminus Deus sedem
David patris eius, [33] et regnábit super domum Iacob in ætér-
num, et regni eius non erit finis ».

[34] Dixit autem María ad ángelum: « Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? ».

[35] Et respóndens ángelus dixit ei: « Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi: ideóque
et quod nascétur sanctum, vocábitur Fílius Dei. [36] Et ecce
Elísabeth cognáta tua et ipsa concépit fílium in senécta
sua, et hic mensis est sextus illi, quæ vocátur stérilis, [37] quia
non erit impossíbile apud Deum omne verbum ».

[38] Dixit autem María: « Ecce ancílla Dómini; fiat mihi secúndum verbum tuum ». Et discéssit ab illa ángelus.

Verbum Dómini.

28

COR IMMACULATUM BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

LECTIO PRIMA

Tu laus magna generis nostri

Léctio libri Iudith 13, 17-20; 15, 9

In diébus illis:

17 Obstúpuit omnis pópulus valde et inclinántes se adoravé-
runt Deum et dixérunt unánimes:
« Benedíctus es, Deus noster,
qui ad níhilum redegísti inimícos pópuli tui
in hodiérna die ».

18 Et dixit ad eam Ozías:
« Benedícta tu es, fília,
a Deo excélso præ ómnibus muliéribus,
quæ sunt super terram.

Et benedíctus Dóminus Deus noster,
qui creávit cælum et terram,
qui diréxit te in vulnus cápitis príncipis
inimicórum nostrórum.

19 Quóniam non discédet laus tua
a corde hóminum memorántium virtútis Dei
usque in sempitérnum.

20 Et fáciat tibi ea Deus in exaltatiónem ætérnam,
ut vísitet te in bonis,
pro eo quod non pepercísti ánimæ tuæ
propter humilitátem géneris nostri,
sed prosilísti in ruínam nostram
in diréctum ámbulans in conspéctu Dei nostri ».

Et dixit omnis pópulus: « Fiat, fiat! ».

15,9 Et, ut éxiit ad illos Iudith, benedixérunt simul eam omnes
et dixérunt ad illam:
« Tu exaltátio Ierúsalem,
tu glória magna Israel,
tu laus magna géneris nostri».

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS
Lc 1, 46-48a. 48b-49. 50-51. 52-53. 54-55 (℟.: 49)

℟. Fecit mihi magna, qui potens est.

46 Magníficat ánima mea Dóminum,
47 et exsultávit spíritus meus in Deo salvatóre meo,
48 quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ. ℟.

Ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes,
49 quia fecit mihi magna, qui potens est,
et sanctum nomen eius. ℟.

50 Et misericórdia eius in progénies et progénies
timéntibus eum.
51 Fecit poténtiam in bráchio suo,
dispérsit supérbos mente cordis sui. ℟.

52 Depósuit poténtes de sede
et exaltávit húmiles;
53 esuriéntes implévit bonis
et dívites dimísit inánes. ℟.

54 Suscépit Israel púerum suum,
recordátus misericórdiæ,
55 sicut locútus est ad patres nostros,
Abraham et sémini eius in sǽcula. ℟.

ALLELUIA

℟. Allelúia.

℣. Beáta es, Virgo María,
quæ portásti ætérni Patris Fílium!

℟. Allelúia.

EVANGELIUM

Beatus venter qui te portavit

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 11, 27-28

In illo témpore:

27 Loquénte Iesu ad turbas, extóllens vocem quædam múlier de turba dixit illi: « Beátus venter, qui te portávit, et úbera, quæ suxísti! ».

28 At ille dixit: « Quinímmo beáti, qui áudiunt verbum Dei et custódiunt! ».

Verbum Dómini.

Vel:

Conservabat omnia verba hæc in corde suo

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 2, 46-51

46 Factum est post tríduum paréntes Iesu invenérunt illum in
templo sedéntem in médio doctórum, audiéntem illos et inter-
rogántem eos; 47 stupébant autem omnes, qui eum audiébant,
super prudéntia et respónsis eius. 48 Et vidéntes eum admiráti
sunt, et dixit mater eius ad illum: « Fili, quid fecísti nobis sic?
Ecce pater tuus et ego doléntes quærebámus te ». 49 Et ait ad
illos: « Quid est quod me quærebátis? Nesciebátis quia in his,
quæ Patris mei sunt, opórtet me esse? ». 50 Et ipsi non intel-
lexérunt verbum, quod locútus est ad illos.

51 Et descéndit cum eis et venit Názareth et erat súbditus illis. Et mater eius conservábat ómnia verba in corde suo.

Verbum Dómini.

29

BEATA MARIA VIRGO, UNIVERSORUM REGINA

LECTIO PRIMA (App **8, 12**)

Eius imperium non erit finis

Léctio libri Isaíæ prophétæ 9, 1-3. 5-6

1 Pópulus, qui ambulábat in ténebris,
vidit lucem magnam;
habitántibus in regióne umbræ mortis
lux orta est eis.
2 Multiplicásti exsultatiónem
et magnificásti lætítiam;
lætántur coram te
sicut lætántes in messe,
sicut exsúltant, quando dívidunt spólia.
3 Iugum enim óneris eius
et virgam úmeri eius
et sceptrum exactóris eius
fregísti, sicut in die Mádian.

5 Párvulus enim natus est nobis,
fílius datus est nobis;
et factus est principátus super úmerum eius;
et vocábitur nomen eius
admirábilis Consiliárius, Deus fortis,
Pater æternitátis, Princeps pacis.

6 Magnum erit eius impérium,
et pacis non erit finis
super sólium David et super regnum eius,
ut confírmet illud et corróboret in iudício et iustítia

ámodo et usque in sempitérnum:
zelus Dómini exercítuum fáciet hoc.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 44, 11-12. 14-15. 16-17. 18 (R.: 11a)

℟. Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam.

11 Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam,
et oblivíscere pópulum tuum et domum patris tui;
12 et concupíscet rex spéciem tuam.
Quóniam ipse est dóminus tuus, et adóra eum. ℟.

14 Gloriósa nimis fília regis intrínsecus,
textúris áureis circumamícta.
15 In véstibus variegátis adducétur regi;
vírgines post eam, próximæ eius, afferúntur tibi ℟.

16 Afferúntur in lætítia et exsultatióne,
adducúntur in domum regis.
17 Pro pátribus tuis erunt tibi fílii;
constítues eos príncipes super omnem terram. ℟.

18 Memor ero nóminis tui
in omni generatióne et generatióne;
proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum
et in sǽculum sǽculi. ℟.

ALLELUIA Cf. Lc 1, 28

℟. Allelúia.

℣. Ave, María, grátia plena,
Dóminus tecum,
benedícta tu in muliéribus.

℟. Allelúia.

EVANGELIUM

Esse concipies et paries filium

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 1, 26-38

In illo témpore:

26 Missus est ángelus Gábriel a Deo in civitátem Galilǽæ, cui
nomen Názareth, 27 ad vírginem desponsátam viro, cui no-
men erat Ioseph de domo David, et nomen vírginis María.

28 Et ingréssus ad eam dixit: « Ave, grátia plena, Dóminus
tecum ». 29 Ipsa autem turbáta est in sermóne eius et co-
gitábat qualis esset ista salutátio.

30 Et ait ángelus ei: « Ne tímeas, María; invenísti enim grá-
tiam apud Deum. 31 Et ecce concípies in útero et páries fí-
lium, et vocábis nomen eius Iesum. 32 Hic erit magnus et
Fílius Altíssimi vocábitur, et dabit illi Dóminus Deus sedem
David patris eius, 33 et regnábit super domum Iacob in ætér-
num, et regni eius non erit finis ».

34 Dixit autem María ad ángelum: « Quómodo fiet istud, quó-
niam virum non cognósco? ».

35 Et respóndens ángelus dixit ei: « Spíritus Sanctus super-
véniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi: ideóque
et quod nascétur sanctum, vocábitur Fílius Dei. 36 Et ecce
Elísabeth cognáta tua et ipsa concépit fílium in senécta
sua, et hic mensis est sextus illi, quæ vocátur stérilis, 37 quia
non erit impossíbile apud Deum omne verbum ».

38 Dixit autem María: « Ecce ancílla Dómini; fiat mihi secún-
dum verbum tuum ». Et discéssit ab illa ángelus.

Verbum Dómini.

SECTIO SECUNDA

Hæc sectio novem formularia exhibet ad memoriam Matris Domini colendam sub titulis qui eius cooperationem vitæ spiritali fidelium fovendæ significant.

FORMULARIA MISSARUM

30. Beata Maria Virgo, mater et mediatrix gratiæ.
31. Beata Maria Virgo, fons salutis.
32. Beata Maria Virgo, mater et magistra spiritalis.
33. Beata Maria Virgo, mater boni consilii.
34. Beata Maria Virgo, causa nostræ lætitiæ.
35. Beata Maria Virgo, fidei præsidium.
36. Beata Maria Virgo, mater pulchræ dilectionis.
37. Beata Maria Virgo, mater sanctæ spei.
38. Sancta Maria, mater unitatis.

30

BEATA MARIA VIRGO MATER ET MEDIATRIX GRATIÆ

LECTIO PRIMA

Quomodo potero sustinere malum, quod passurus est populus meus?

Léctio libri Esther 8, 3-8. 16-17a

In diébus illis:

3 Adiécit Esther loqui coram rege Asuéro et prócidit ad pedes eius flevítque et locúta ad eum orávit, ut malítiam Aman Agagítæ et machinatiónes eius péssimas, quas excogitáverat contra Iudǽos, iubéret írritas fíeri.

4 At ille ex more sceptrum áureum proténdit manu; illáque
consúrgens stetit ante eum 5 et ait: « Si placet regi et si in-
véni grátiam coram eo, et deprecátio mea non ei vidétur esse contrária, et accépta sum in óculis eius, óbsecro, ut novis epístulis véteres lítteræ Aman fílii Amadáthi, Agagítæ, insidiatóris et hostis Iudæórum, quibus eos in cunctis regis pro-
víncìis períre præcéperat, corrigántur. 6 Quómodo enim pó-
tero sustinére malum, quod passúrus est pópulus meus, et intéritum cognatiónis meæ? ».

7 Respondítque rex Asuérus Esther regínæ et Mardochǽo Iu-
dǽo: « Domum Aman concéssi Esther et ipsum iussi appéndi
in patíbulo, quia ausus est manum in Iudǽos míttere. 8 Scrí-
bite ergo Iudǽis sicut vobis placet, ex regis nómine, signántes lítteras ánulo meo, quia epístulæ ex regis nómine scriptæ et illíus ánulo signátæ non possunt immutári ».

16 Iudǽis autem nova lux oríri visa est, gáudium, honor et tri-
púdium. 17 Apud omnes pópulos, urbes atque províncias, quo-

cúmque regis iussa veniébant, Iudǽis fuit exsultátio, épulæ atque convívia et festus dies, in tantum ut plures alteríus gentis et sectæ eórum religióni et cæremóniis iungeréntur.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS Ps 66, 2-3. 4-5. 6-7 (℟.: cf. 2b)

℟. Illúmina, Deus, vultum tuum super nos.

2 Deus misereátur nostri et benedícat nobis;
illúminet vultum suum super nos,
3 ut cognoscátur in terra via tua,
in ómnibus géntibus salutáre tuum. ℟.

4 Confiteántur tibi pópuli, Deus;
confiteántur tibi pópuli omnes.
5 Lætentur et exsúltent gentes,
quóniam iúdicas pópulos in æquitáte
et gentes in terra dírigis. ℟.

6 Confiteántur tibi pópuli, Deus;
confiteántur tibi pópuli omnes.
7 Terra dedit fructum suum;
benedícat nos Deus, Deus noster. ℟.

ALLELUIA

℟. Allelúia.

℣. Felix es, sacra Virgo María,
mater grátiæ et regína misericórdiæ,
quia ex te ortus est Christus,
Mediátor ac Salvátor noster.

℟. Allelúia.

EVANGELIUM

Dicit mater eius ad eum: vinum non habent

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 2, 1-11

In illo témpore:

1 Núptiæ factæ sunt in Cana Galilǽæ, et erat mater Iesu ibi;
2 vocátus est autem et Iesus et discípuli eius ad núptias.
3 Et deficiénte vino, dicit mater Iesu ad eum: « Vinum non
habent ». 4 Et dicit ei Iesus: « Quid mihi et tibi, múlier?
Nondum venit hora mea ». 5 Dicit mater eius minístris:
« Quodcúmque díxerit vobis, fácite ».

6 Erant autem ibi lapídeæ hýdriæ sex pósitæ secúndum purifi-
catiónem Iudæórum, capiéntes síngulæ metrétas binas vel
ternas. 7 Dicit eis Iesus: « Impléte hýdrias aqua ». Et imple-
vérunt eas usque ad summum. 8 Et dicit eis: « Hauríte nunc
et ferte architriclíno ». Illi autem tulérunt. 9 Ut autem gus-
távit architriclínus aquam vinum factam et non sciébat un-
de esset, minístri autem sciébant, qui hauríerant aquam, vo-
cat sponsum architriclínus 10 et dicit ei: « Omnis homo pri-
mum bonum vinum ponit et, cum inebriáti fúerint, id quod
detérius est; tu servásti bonum vinum usque adhuc ».

11 Hoc fecit inítium signórum Iesus in Cana Galilǽæ et mani-
festávit glóriam suam, et credidérunt in eum discípuli eius.

Verbum Dómini.

31

BEATA MARIA VIRGO, FONS SALUTIS

*

LECTIO PRIMA

Vidi aquam egredientem de templo,
et omnes ad quos pervenit aqua ista salvi facti sunt

Léctio libri Ezechiélis prophétæ 47, 1-2. 8-9. 12

In diébus illis:

1 Convértit me ángelus ad portam domus Dómini, et ecce
aquæ egrediebántur subter limen domus ad oriéntem; fácies
enim domus respiciébat ad oriéntem, aquæ autem descendé-
bant a látere templi dextro a merídie altáris. 2 Et edúxit me
per viam portæ aquilónis et convértit me ad viam foras ad
portam exterióre, quæ respiciébat ad oriéntem; et ecce aquæ
exeúntes a látere dextro.

8 Et ait ad me: « Aquæ istæ, quæ egrediúntur ad regiónem
orientálem et descéndunt ad Arabam, intrábunt mare, aquas
salsas et sanabúntur aquæ: 9 et omnis ánima vivens, quæ mo-
vétur, quocúmque vénerit torrens, vivet, et erunt pisces multi
satis, postquam vénerint illuc aquæ istæ, et sanabúntur et
vivent ómnia, ad quæ vénerit torrens.

12 Et super torréntem oriétur in ripis eius ex utráque parte
omne lignum pomíferum; non défluet fólium ex eo, et non
defíciet fructus eius: per síngulos menses áfferet primitíva,
quia aquæ eius de sanctuário egrediéntur, et erunt fructus
eius in cibum et fólia eius ad medicínam.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS Is 12, 2-3. 4bcd. 5-6 (℟.: 3)

℟. Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus salútis.

2 Ecce Deus salútis meæ;
fiduciáliter agam et non timébo,
quia fortitúdo mea et laus mea Dóminus,
et factus est mihi in salútem.
3 Et hauriétis aquas in gáudio de fóntibus salútis. ℟.

4 Confitémini Dómino et invocáte nomen eius,
notas fácite in pópulis adinventiónes eius;
mementóte quóniam excélsum est nomen eius. ℟.

5 Cantáte Dómino, quóniam magnífice fecit;
notum sit hoc in univérsa terra.
6 Exsúlta et lauda, quæ hábitas in Sion,
quia magnus in médio tui Sanctus Israel. ℟.

ALLELUIA

℟. Allelúia.

℣. Benedícta tu inter mulíeres,
quia suscepísti Christum Fílium Dei
et animárum nostrárum Redemptórem.

℟. Allelúia.

EVANGELIUM

Latus eius aperuit, et exivit sanguis et aqua

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 19, 25-37

25 Stabant iuxta crucem Iesu mater eius et soror matris eius,
María Cléopæ, et María Magdaléne.

26 Cum vidísset ergo Iesus matrem et discípulum stantem,
quem diligébat, dicit matri: « Múlier, ecce fílius tuus ».
27 Deínde dicit discípulo: « Ecce mater tua ».

Et ex illa hora accépit eam discípulus in sua.

28 Post hoc sciens Iesus quia iam ómnia consummáta sunt, ut
consummarétur Scriptúra, dicit: « Sítio ». 29 Vas pósitum erat
acéto plenum; spóngiam ergo plenam acéto hyssópo circum-
ponéntes, obtulérunt ori eius. 30 Cum ergo accepísset acétum,
Iesus dixit: « Consummátum est! »; et inclináto cápite trá-
didit spíritum.

31 Iudǽi ergo, quóniam Parascéve erat, ut non remanérent in
cruce córpora sábbato, erat enim magnus dies illíus sábbati,
rogavérunt Pilátum, ut frangeréntur eórum crura, et tollerén-
tur. 32 Venérunt ergo mílites et primi quidem fregérunt crura
et alteríus, qui crucifíxus est cum eo; 33 ad Iesum autem cum
veníssent, ut vidérunt eum iam mórtuum, non fregérunt eius
crura, 34 sed unus mílitum láncea latus eius apéruit, et con-
tínuo exívit sanguis et aqua.

35 Et qui vidit, testimónium perhíbuit, et verum est eius testi-
mónium, et ille scit quia vera dicit, ut et vos credátis. 36 Facta
sunt enim hæc, ut Scriptúra impleátur: « Os non comminué-
tur eius », 37 et íterum ália Scriptúra dicit: « Vidébunt in
quem transfixérunt ».

Verbum Dómini.

31

BEATA MARIA VIRGO, FONS SALUTIS

**

LECTIO PRIMA

Fons hortorum, puteus aquarum viventium

Léctio Cántici Canticórum 4, 6-7. 9. 12-15

6 Antequam aspíret dies,
et festínent umbræ,
vadam ad montem myrrhæ
et ad collem turis.

7 Tota pulchra es, amíca mea,
et mácula non est in te.

9 Vulnerásti cor meum, soror mea sponsa,
vulnerásti cor meum in uno oculórum tuórum
et in uno moníli torquis tui.

12 Hortus conclúsus, soror mea sponsa,
hortus conclúsus, fons signátus;
13 propágines tuæ paradísus malórum punicórum
cum óptimis frúctibus,
cypri cum nardo.

14 Nardus et crocus,
fístula et cinnamómum
cum univérsis lignis turíferis,
myrrha et áloe
cum ómnibus primis unguéntis.

15 Fons hortórum,
púteus aquárum vivéntium,
quæ fluunt ímpetu de Líbano.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS Iudt 13, 18bcde. 19 (℟.: 15, 9d)

℟. Tu laus magna géneris nostri.

18 Benedícta tu es, fília, a Deo excélso
præ ómnibus muliéribus, quæ sunt super terram.
Et benedíctus Dóminus Deus noster,
qui creávit cælum et terram. ℟.

19 Quóniam non discédet laus tua
a corde hóminum memorántium virtútis Dei
usque in sempitérnum. ℟.

ALLELUIA Cf. Lc 1, 45. 49

℟. Allelúia.

℣. Beáta, Virgo María, quæ credidísti,
quia fecit tibi magna qui potens est.

℟. Allelúia.

EVANGELIUM

Flumina fluent aquæ vivæ

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 7, 37-39a

37 In novíssimo die magno festivitátis stabat Iesus et clamávit dicens:

« Si quis sitit, véniat ad me et bibat, 38 qui credit in me. Sicut dixit Scriptúra, flúmina de ventre eius fluent aquæ vivæ ».

39 Hoc autem dixit de Spíritu, quem acceptúri erant qui credíderant in eum.

Verbum Dómini.

32

BEATA MARIA VIRGO
MATER ET MAGISTRA SPIRITALIS

LECTIO PRIMA △

Qui me invenerit, inveniet vitam

Léctio libri Proverbiórum 8, 17-21. 34-35

Hæc lóquitur Sapiéntia Dei:
17 « Ego diligéntes me díligo;
et, qui mane vígilant ad me, invénient me.
18 Mecum sunt divítiæ et glória,
opes supérbæ et iustítia.
19 Mélior est enim fructus meus auro et obrýzo,
et genímina mea argénto elécto.
20 In viis iustítiæ ámbulo,
in médio semitárum iudícii,
21 ut ditem diligéntes me
et thesáuros eórum rēpleam.

34 Beátus homo, qui audit me
et qui vígilat ad fores meas cotídie
et obsérvat ad postes óstii mei.
35 Qui me invénerit, invéniet vitam
et háuriet delícias a Dómino ».

Verbum Dómini.

Vel:

Domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis

Léctio libri Isaíæ prophétæ 56, 1. 6-7

1 Hæc dicit Dóminus:
« Custodíte iudícium et fácite iustítiam,

quia iuxta est salus mea, ut véniat,
et iustítia mea, ut revelétur ».

6 Et fílios ádvenæ, qui adhǽrent Dómino,
ut colant eum,
ut díligant nomen Dómini,
ut sint ei in servos,
omnes custodiéntes sábbatum, ne pólluant illud,
et tenéntes fœdus meum,
7 addúcam eos in montem sanctum meum
et lætificábo eos in domo oratiónis meæ:
holocáusta eórum et víctimæ eórum
placébunt mihi super altári meo,
quia domus mea domus oratiónis
vocábitur cunctis pópulis.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS Ps 14, 2-3a. 3bc-4. 5 (℟.: cf. 1b)

℟. Iustus requiéscet in monte sancto tuo, Dómine.

2 Qui ingréditur sine mácula et operátur iustítiam,
qui lóquitur veritátem in corde suo,
3 qui non egit dolum in lingua sua. ℟.

Nec fecit próximo suo malum
et oppróbrium non íntulit próximo suo.
4 Ad níhilum reputátus est in conspéctu eius malígnus,
timéntes autem Dóminum gloríficat. ℟.

5 Qui pecúniam suam non dedit ad usúram
et múnera super innocéntem non accépit.
Qui facit hæc, non movébitur in ætérnum. ℟.

ALLELUIA Cf. Lc 2, 19

℟. Allelúia.

℣. Beáta Virgo María,
quæ conservábat verbum Dei,
cónferens in corde suo.

℟. Allelúia.

EVANGELIUM △ (App **19**)

Extendens manum in discipulos, dixit:
Ecce mater mea et fratres mei

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum 12, 46-50

In illo témpore:

46 Loquénte Iesu ad turbas, ecce mater et fratres eius stabant
foris quæréntes loqui ei. 47 Dixit autem ei quidam: « Ecce
mater tua et fratres tui foris stant quæréntes loqui tecum ».

48 At ille respóndens dicénti sibi ait: « Quæ est mater mea, et
qui sunt fratres mei? ».

49 Et exténdens manum suam in discípulos suos dixit: « Ecce
mater mea et fratres mei. 50 Quicúmque enim fécerit volun-
tátem Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater et soror
et mater est ».

Verbum Dómini.

Vel:

Ecce filius tuus. Ecce mater tua

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 19, 25-27

In illo témpore:

25 Stabant iuxta crucem Iesu mater eius et soror matris eius,
María Cléopæ, et María Magdaléne.

[26] Cum vidísset ergo Iesus matrem et discípulum stantem,
quem diligébat, dicit matri: « Múlier, ecce fílius tuus ».
[27] Deínde dicit discípulo: « Ecce mater tua ».

Et ex illa hora accépit eam discípulus in sua.

Verbum Dómini.

33

BEATA MARIA VIRGO, MATER BONI CONSILII

LECTIO PRIMA △

Consiliarius mirabilis datus est nobis

Léctio libri Isaíæ prophétæ 9, 1-3. 5-6

1 Pópulus, qui ambulábat in ténebris,
vidit lucem magnam;
habitántibus in regióne umbræ mortis
lux orta est eis.
2 Multiplicásti exsultatiónem
et magnificásti lætítiam;
lætántur coram te
sicut lætántes in messe,
sicut exsúltant, quando dívidunt spólia.
3 Iugum enim óneris eius
et virgam úmeri eius
et sceptrum exactóris eius
fregísti, sicut in die Mádian.

5 Párvulus enim natus est nobis,
fílius datus est nobis;
et factus est principátus super úmerum eius;
et vocábitur nomen eius
admirábilis Consiliárius, Deus fortis,
Pater æternitátis, Princeps pacis.

6 Magnum erit eius impérium,
et pacis non erit finis
super sólium David et super regnum eius,
ut confírmet illud et corróboret in iudício et iustítia

ámodo et usque in sempitérnum:
zelus Dómini exercítuum fáciet hoc.

Verbum Dómini.

Vel:

Erant perseverantes in oratione cum Maria, matre Iesu

Léctio Actuum Apostolórum 1, 12-14; 2, 1-4

Postquam assúmptus est Iesus in cælum, [12] revérsi sunt após-
toli in Ierúsalem a monte, qui vocátur Olivéti, qui est iuxta
Ierúsalem sábbati habens iter. [13] Et cum introíssent, in cená-
culum ascendérunt, ubi manébant et Petrus et Ioánnes et Ia-
cóbus et Andréas, Philíppus et Thomas, Bartholomǽus et
Matthǽus, Iacóbus Alphǽi et Simon Zelótes et Iudas Iacóbi.

[14] Hi omnes erant perseverántes unanímiter in oratióne cum
muliéribus et María matre Iesu et frátribus eius.

[2,1] Et cum complerétur dies Pentecóstes, erant omnes páriter
in eódem loco. [2] Et factus est repénte de cælo sonus tamquam
adveniéntis spíritus veheméntis et replévit totam domum, ubi
erant sedéntes. [3] Et apparuérunt illis dispertítæ linguæ tam-
quam ignis, sedítque supra síngulos eórum; [4] et repléti sunt
omnes Spíritu Sancto et cœpérunt loqui áliis linguis, prout
Spíritus dabat éloqui illis.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Sir 14, 22. 23. 24-25. 26-27 (℟.: 22a)

℟. Beátus vir, qui in sapiéntia morábitur.

[22] Beátus vir, qui in sapiéntia morábitur
et qui in iustítia sua meditábitur
et in sensu cogitábit circumspectiónem Dei. ℟.

23 Qui excógitat vias illíus in corde suo
et in abscónditis suis intéllegens,
vadens post illam quasi investigátor
et in viis illíus consístens. ℟.

24 Qui réspicit per fenéstras illíus
et in iánuis illíus áudiens;
25 qui requiéscit iuxta domum illíus
et in pariétibus illíus figens palum,
státuet cásulam suam ad manus illíus
et requiéscet in deversório bonórum per ævum. ℟.

26 Státuet fílios suos sub tégmine illíus
et sub ramis eius morábitur;
27 protegétur sub tégmine illíus a fervóre
et in glória eius requiéscet. ℟.

ALLELUIA Prov 8, 14

℟. Allelúia.

℣. Meum est consílium et prudéntia,
mea est prudéntia,
mea est fortitúdo.

℟. Allelúia.

EVANGELIUM

Dicit mater eius ministris: Quodcumque dixerit vobis, facite

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 2, 1-11

In illo témpore:
1 Núptiæ factæ sunt in Cana Galilǽæ, et erat mater Iesu ibi;
2 vocátus est autem et Iesus et discípuli eius ad núptias.
3 Et deficiénte vino, dicit mater Iesu ad eum: « Vinum non
habent ». 4 Et dicit ei Iesus: « Quid mihi et tibi, múlier?
Nondum venit hora mea ». 5 Dicit mater eius minístris:
« Quodcúmque díxerit vobis, fácite ».

[6] Erant autem ibi lapídeæ hýdriæ sex pósitæ secúndum purifi-
catiónem Iudæórum, capiéntes síngulæ metrétas binas vel
ternas. [7] Dicit eis Iesus: « Impléte hýdrias aqua ». Et imple-
vérunt eas usque ad summum. [8] Et dicit eis: « Hauríte nunc
et ferte architriclíno ». Illi autem tulérunt. [9] Ut autem gus-
távit architriclínus aquam vinum factam et non sciébat un-
de esset, minístri autem sciébant, qui hauríerant aquam, vo-
cat sponsum architriclínus [10] et dicit ei: « Omnis homo pri-
mum bonum vinum ponit et, cum inebriáti fúerint, id quod
detérius est; tu servásti bonum vinum usque adhuc ».

[11] Hoc fecit inítium signórum Iesus in Cana Galilǽæ et mani-
festávit glóriam suam, et credidérunt in eum discípuli eius.

Verbum Dómini.

34

BEATA MARIA VIRGO
CAUSA NOSTRÆ LÆTITIÆ

LECTIO PRIMA △

Iubila et lætare, Filia Sion

Léctio libri Zacharíæ prophétæ 2, 14-17

14 Iúbila et lætáre, fília Sion,
quia ecce ego vénio
et habitábo in médio tui,
ait Dóminus.
15 Et applicabúntur gentes multæ
ad Dóminum in die illa
et erunt ei in pópulum.
Et habitábo in médio tui,
et scies quia Dóminus exercítuum
misit me ad te.

16 Et possidébit Dóminus Iudam
partem suam super terram sanctam
et éliget adhuc Ierúsalem.
17 Síleat omnis caro a fácie Dómini,
quia consurréxit de habitáculo sancto suo.

Verbum Dómini.

Vel:

Gaudens gaudebo in Domino

Léctio libri Isaíæ prophétæ 61, 9-11

9 Sciétur in géntibus semen eórum
et germen eórum in médio populórum;

omnes, qui víderint eos, cognóscent illos,
quia isti sunt semen, cui benedíxit Dóminus.

10 Gaudens gaudébo in Dómino,
et exsultábit ánima mea in Deo meo,
quia índuit me vestiméntis salútis
et induménto iustítiæ circúmdedit me,
quasi sponsum decorátum coróna
et quasi sponsam ornátam monílibus suis.
11 Sicut enim terra profert germen suum
et sicut hortus semen suum gérminat,
sic Dóminus Deus germinábit iustítiam
et laudem coram univérsis géntibus.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Lc 1, 46-48. 49-50. 53-54 (℟.: cf. Is 61, 10b)

℟. Exsúltat ánima mea in Deo meo.

46 Magníficat ánima mea Dóminum,
47 et exsultávit spíritus meus in Deo salvatóre meo,
48 quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ.
Ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes. ℟.

49 Quia fecit mihi magna, qui potens est,
et sanctum nomen eius,
50 et misericórdia eius in progénies et progénies
timéntibus eum. ℟.

53 Esuriéntes implévit bonis
et dívites dimisít inánes.
54 Suscépit Israel púerum suum,
recordátus misericórdiæ. ℟.

ALLELUIA

℟. Allelúia.

℣. Ave, sancta María,
lætítia humáni géneris,
quæ virgíneo partu
salútem et gáudium nobis protulísti.

℟. Allelúia.

EVANGELIUM △

Ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth,
exsultavit infans in utero eius

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 1, 39-47

39 Exsúrgens María in diébus illis ábiit in montána cum
festinatióne in civitátem Iudæ 40 et intrávit in domum Za-
charíæ et salutávit Elísabeth. 41 Et factum est ut audívit sa-
lutatiónem Maríæ Elísabeth, exsultávit infans in útero eius,
et repléta est Spíritu Sancto Elísabeth 42 et exclamávit voce
magna et dixit:

« Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris
tui. 43 Et unde hoc mihi, ut véniat mater Dómini mei ad me?
44 Ecce enim ut facta est vox salutatiónis tuæ in áuribus meis,
exsultávit in gáudio infans in útero meo. 45 Et beáta, quæ cré-
didit, quóniam perficiéntur ea, quæ dicta sunt ei a Dómino ».

46 Et ait María:
« Magníficat ánima mea Dóminum,
47 et exsultávit spíritus meus in Deo salvatóre meo »

Verbum Dómini.

Vel:

Gaudium meum in vobis sit

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 15, 9-12

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: [9] « Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos; manéte in dilectióne mea. [10] Si præcépta mea servavéritis, manébitis in dilectióne mea, sicut ego Patris mei præcépta servávi et máneo in eius dilectióne. [11] Hæc locútus sum vobis, ut gáudium meum in vobis sit, et gáudium vestrum impleátur.

12 Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos ».

Verbum Dómini.

35

BEATA MARIA VIRGO, FIDEI PRÆSIDIUM

LECTIO PRIMA

Ad nihilum redegisti inimicos populi tui

Léctio libri Iudith 13, 14. 17-20

In diébus illis:

Iudith dixit ad pópulum voce magna:
14 « Laudáte Dóminum nostrum,
laudáte, quia non ábstulit misericórdiam suam
a domo Israel,
sed contéruit inimícos nostros
per manum meam in hac nocte ».

17 Et obstúpuit omnis pópulus valde et inclinántes se adora-
vérunt Deum et dixérunt unánimes:
« Benedíctus es, Deus noster,
qui ad níhilum redegísti inimícos pópuli tui
in hodiérna die ».

18 Et dixit ad eam Ozías:
« Benedícta tu es, fília,
a Deo excélso præ ómnibus muliéribus,
quæ sunt super terram.

Et benedíctus Dóminus Deus noster,
qui creávit cælum et terram,
qui diréxit te in vulnus cápitis príncipis
inimicórum nostrórum.

19 Quóniam non discédet laus tua
a corde hóminum memorántium virtútis Dei
usque in sempitérnum.

20 Et fáciat tibi ea Deus in exaltatiónem ætérnam,
ut vísitet te in bonis,
pro eo quod non pepercísti ánimæ tuæ
propter humilitátem géneris nostri,
sed prosilísti in ruínam nostram
in diréctum ámbulans in conspéctu Dei nostri ».

Et dixit omnis pópulus: « Fiat, fiat! ».

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS Ps 26, 1. 3. 4. 5 (℟.: cf. 9cd)

℟. Adiútor meus es tu, Deus salútis meæ.

1 Dóminus illuminátio mea et salus mea, quem timébo?
Dóminus protéctor vitæ meæ, a quo trepidábo? ℟.

3 Si consístant advérsum me castra,
non timébit cor meum;
si exsúrgat advérsum me prœlium,
in hoc ego sperábo. ℟.

4 Unum pétii a Dómino, hoc requíram:
ut inhábitem in domo Dómini
ómnibus diébus vitæ meæ,
ut vídeam voluptátem Dómini
et vísitem templum eius. ℟.

5 Quóniam occultábit me in tentório suo,
in die malórum.
Abscóndet me in abscóndito tabernáculi sui,
in petra exaltábit me. ℟.

ALLELUIA Cf. Ps 39, 3-4

℟. Allelúia.

℣. Státuit super petram pedes meos,
et immísit in os meum cánticum novum.

℟. Allelúia.

EVANGELIUM

Beatus venter qui te portavit

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 11, 27-28

In illo témpore:

27 Loquénte Iesu ad turbas, extóllens vocem quædam múlier
de turba dixit illi: « Beátus venter, qui te portávit, et úbera,
quæ suxísti! ».

28 At ille dixit: « Quinímmo beáti, qui áudiunt verbum Dei et
custódiunt! ».

Verbum Dómini.

36

BEATA MARIA VIRGO MATER PULCHRÆ DILECTIONIS

LECTIO PRIMA

Ego mater pulchræ dilectionis

Léctio libri Sirácidæ 24, 23-31

23 Ego quasi vitis germinávi grátiam,
et flores mei fructus honóris et honestátis.
24 Ego mater pulchræ dilectiónis et timóris
et agnitiónis et sanctæ spei.
25 In me grátia omnis viæ et veritátis,
in me omnis spes vitæ et virtútis.
26 Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me,
et a generatiónibus meis impleémini.
27 Doctrína enim mea super mel dulcis,
et heréditas mea super mel et favum;
28 memória mea in generatiónes sæculórum.
29 Qui edunt me, adhuc esúrient;
et, qui bibunt me, adhuc sítient.
30 Qui audit me, non confundétur;
et, qui operántur in me, non peccábunt:
31 qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Cant 2, 10bc et 14ef; 4, 8a et 9a. 11cd et 12. 15 (℟.: cf. 4, 7)

℟. Tota pulchra es, María, et mácula non est in te.

2,10 Surge, amíca mea,
colúmba mea, formósa mea, et veni.
14 Vox enim tua dulcis,
et fácies tua decóra. ℟.

4,8 Veni de Líbano, sponsa,
9 vulnerásti cor meum, soror mea sponsa. ℟.

11 Et odor vestimentórum tuórum
sicut odor Líbani.
12 Hortus conclúsus, soror mea sponsa,
hortus conclúsus, fons signátus. ℟.

15 Fons hortórum,
púteus aquárum vivéntium,
quæ fluunt ímpetu de Líbano. ℟.

ALLELUIA Cf. Lc 1, 28

℟. Allelúia.

℣. Ave, María, grátia plena
Dóminus tecum,
benedícta tu in muliéribus.

℟. Allelúia.

EVANGELIUM

Ave, gratia plena

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 1, 26-38

In illo témpore:
26 Missus est ángelus Gábriel a Deo in civitátem Galilǽæ, cui
nomen Názareth, 27 ad vírginem desponsátam viro, cui no-
men erat Ioseph de domo David, et nomen vírginis María.

28 Et ingréssus ad eam dixit: « Ave, grátia plena, Dóminus
tecum ». 29 Ipsa autem turbáta est in sermóne eius et co-
gitábat qualis esset ista salutátio.

30 Et ait ángelus ei: « Ne tímeas, María; invenísti enim grá-
tiam apud Deum. 31 Et ecce concípies in útero et páries fí-
lium, et vocábis nomen eius Iesum. 32 Hic erit magnus et

Fílius Altíssimi vocábitur, et dabit illi Dóminus Deus sedem
David patris eius, [33] et regnábit super domum Iacob in ætér-
num, et regni eius non erit finis ».

[34] Dixit autem María ad ángelum: « Quómodo fiet istud, quó-
niam virum non cognósco? ».

[35] Et respóndens ángelus dixit ei: « Spíritus Sanctus super-
véniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi: ideóque
et quod nascétur sanctum, vocábitur Fílius Dei. [36] Et ecce
Elísabeth cognáta tua et ipsa concépit fílium in senécta
sua, et hic mensis est sextus illi, quæ vocátur stérilis, [37] quia
non erit impossíbile apud Deum omne verbum ».

[38] Dixit autem María: « Ecce ancílla Dómini; fiat mihi secún-
dum verbum tuum ». Et discéssit ab illa ángelus.

Verbum Dómini.

37

BEATA MARIA VIRGO, MATER SANCTÆ SPEI

LECTIO PRIMA

Ego mater sanctæ spei

Léctio libri Sirácidæ 24, 14-16. 24-31

14 Ab inítio ante sǽcula creáta sum
et usque ad futúrum sǽculum non désinam.
15 Et in tabernáculo sancto coram ipso ministrávi,
et sic in Sion firmáta sum
et in civitáte simíliter dilécta requiévi,
et in Ierúsalem potéstas mea.
16 Et radicávi in pópulo honorificáto
et in parte Dómini, in hereditáte illíus,
et in plenitúdine sanctórum deténtio mea.

24 Ego mater pulchræ dilectiónis et timóris
et agnitiónis et sanctæ spei.
25 In me grátia omnis viæ et veritátis,
in me omnis spes vitæ et virtútis.

26 Transíte ad me omnes, qui concupíscitis me,
et a generatiónibus meis implémini.
27 Doctrína enim mea super mel dulcis,
et heréditas mea super mel et favum;
28 memória mea in generatiónes sæculórum.
29 Qui edunt me, adhuc esúrient;
et, qui bibunt me, adhuc sítient.
30 Qui audit me, non confundétur;
et, qui operántur in me, non peccábunt:
31 qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Lc 1, 46-48a. 48b-49. 50-51. 52-53. 54-55

℟. María, spes nostra, salve.

46 Magníficat ánima mea Dóminum,
47 et exsultávit spíritus meus in Deo salvatóre meo,
48 quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ. ℟.

Ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes,
49 quia fecit mihi magna, qui potens est,
et sanctum nomen eius. ℟.

50 Et misericórdia eius in progénies et progénies
timéntibus eum.
51 Fecit poténtiam in bráchio suo,
dispérsit supérbos mente cordis sui. ℟.

52 Depósuit poténtes de sede
et exaltávit húmiles;
53 esuriéntes implévit bonis
et dívites dimísit inánes. ℟.

54 Suscépit Israel púerum suum,
recordátus misericórdiæ,
55 sicut locútus est ad patres nostros,
Abraham et sémini eius in sǽcula. ℟.

ALLELUIA

℟. Allelúia.

℣. Beáta mater et intácta virgo,
gloriósa regína mundi,
intercéde pro nobis ad Deum qui te elégit.

℟. Allelúia.

EVANGELIUM

Et erat mater Iesu ibi

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 2, 1-11

In illo témpore:

1 Núptiæ factæ sunt in Cana Galilǽæ, et erat mater Iesu ibi;
2 vocátus est autem et Iesus et discípuli eius ad núptias.
3 Et deficiénte vino, dicit mater Iesu ad eum: « Vinum non
habent ». 4 Et dicit ei Iesus: « Quid mihi et tibi, múlier?
Nondum venit hora mea ». 5 Dicit mater eius minístris:
« Quodcúmque díxerit vobis, fácite ».

6 Erant autem ibi lapídeæ hýdriæ sex pósitæ secúndum purificatiónem Iudæórum, capiéntes síngulæ metrétas binas vel
ternas. 7 Dicit eis Iesus: « Impléte hýdrias aqua ». Et implevérunt eas usque ad summum. 8 Et dicit eis: « Hauríte nunc
et ferte architriclíno ». Illi autem tulérunt. 9 Ut autem gustávit architriclínus aquam vinum factam et non sciébat unde esset, minístri autem sciébant, qui hauríerant aquam, vocat sponsum architriclínus 10 et dicit ei: « Omnis homo primum bonum vinum ponit et, cum inebriáti fúerint, id quod detérius est; tu servásti bonum vinum usque adhuc ».

11 Hoc fecit inítium signórum Iesus in Cana Galilǽæ et manifestávit glóriam suam, et credidérunt in eum discípuli eius.

Verbum Dómini.

38

SANCTA MARIA, MATER UNITATIS

LECTIO PRIMA △

In tempore illo congregabo vos

Léctio libri Sophoníæ prophétæ 3, 14-20

14 Lauda, fília Sion;
iubiláte, Israel!
Lætáre et exsúlta in omni corde,
fília Ierúsalem!
15 Abstulit Dóminus iudícium tuum,
avértit inimícos tuos;
rex Israel Dóminus in médio tui,
non timébis malum ultra.
16 In die illa dicétur Ierúsalem:
« Noli timére, Sion;
ne dissolvántur manus tuæ!
17 Dóminus Deus tuus in médio tui,
fortis ipse salvábit;
gaudébit super te in lætítia,
commótus in dilectióne sua;
exsultábit super te in laude
18 sicut in die convéntus ».
« Auferam a te calamitátem,
ut non ultra hábeas super ea oppróbrium.
19 Ecce ego interfíciam
omnes, qui afflixérunt te
in témpore illo;
et salvábo claudicántem
et eam, quæ eiécta fúerat, congregábo;
et ponam eos in laudem et in nomen

in omni terra confusiónis eórum,
20 in témpore illo, quo addúcam vos,
et in témpore, quo congregábo vos.
Dabo enim vos in nomen et in laudem
ómnibus pópulis terræ,
cum convértero sortem vestram
coram óculis vestris »,
dicit Dóminus.

Verbum Dómini.

Vel:

Unus mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus

Léctio Epístulæ primæ beáti Pauli apóstoli
ad Timóthæum 2, 5-8

Caríssime:

5 Unus Deus, unus et mediátor Dei et hóminum, homo Chris-
tus Iesus, [6] qui dedit redemptiónem semetípsum pro ómni-
bus, testimónium tempóribus suis; [7] in quod pósitus sum ego
prædicátor et apóstolus — veritátem dico, non méntior —
doctor géntium in fide et veritáte.

8 Volo ergo viros oráre in omni loco levántes puras manus
sine ira et disceptatióne.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ier 31, 10. 11-12ab. 13-14 (℞.: cf. 10c)

℞. Cóngrega, Dómine, pópulum tuum dispérsum.

10 Audíte verbum Dómini, gentes,
et annuntiáte in ínsulis, quæ procul sunt, et dícite:
« Qui dispérsit Israel, congregábit eum
et custódiet eum sicut pastor gregem suum ». ℞.

11 Redémit enim Dóminus Iacob
et liberávit eum de manu potentióris.
12 Et vénient et laudábunt in monte Sion
et cónfluent ad bona Dómini,
super fruménto et vino et óleo
et fetu pécorum et armentórum. ℟.

13 Tunc lætábitur virgo in choro,
iúvenes et senes simul.
Et convértam luctum eórum in gáudium
et consolábor eos et lætificábo a dolóre suo.
14 Et inebriábo ánimam sacerdótum pinguédine,
et pópulus meus bonis meis adimplébitur. ℟.

ALLELUIA

℟. Allelúia.

℣. Colligátur Ecclésia tua, Dómine,
a fínibus terræ in regnum tuum.
Quóniam tua est glória et virtus
per Iesum Christum in sǽcula.

℟. Allelúia.

EVANGELIUM △

Ut filios Dei qui erant dispersi congregaret in unum

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 11, 45-52

In illo témpore:

45 Multi ex Iudǽis, qui vénerant ad Maríam et víderant, quæ
fecit, crediderúnt in eum: 46 quidam autem ex ipsis abiérunt
ad pharisǽos et dixérunt eis, quæ fecit Iesus. 47 Collegérunt
ergo pontífices et pharisǽi concílium et dicébant: « Quid fá-
cimus, quia hic homo multa signa facit? 48 Si dimíttimus
eum sic, omnes credent in eum, et vénient Románi et tollent
nostrum et locum et gentem! ».

[49] Unus autem ex ipsis, Cáiphas, cum esset póntifex anni illíus,
dixit eis: « Vos nescítis quidquam, [50] nec cogitátis quia éxpe-
dit vobis, ut unus moriátur homo pro pópulo, et non tota
gens péreat! ».

[51] Hoc autem a semetípso non dixit, sed cum esset póntifex
anni illíus, prophetávit quia Iesus moritúrus erat pro gen-
te [52] et non tantum pro gente sed et ut fílios Dei, qui erant
dispérsi, congregáret in unum.

Verbum Dómini.

Vel:

Sint consummati in unum

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 17, 20-26

In illo témpore:

Sublevátis óculis in cælum orávit Iesus dicens: « Pater sanc-
te, [20] non pro his autem rogo tantum, sed et pro eis, qui
creditúri sunt per verbum eórum in me, [21] ut omnes unum
sint, sicut tu, Pater, in me et ego in te, ut et ipsi in nobis
unum sint: ut mundus credat quia tu me misísti.

[22] Et ego claritátem, quam dedísti mihi, dedi illis, ut sint
unum, sicut nos unum sumus; [23] ego in eis, et tu in me, ut
sint consummáti in unum: ut cognóscat mundus quia tu me
misísti et dilexísti eos, sicut me dilexísti.

[24] Pater, quod dedísti mihi, volo, ut ubi ego sum, et illi sint
mecum, ut vídeant claritátem meam, quam dedísti mihi,
quia dilexísti me ante constitutiónem mundi.

[25] Pater iuste, et mundus te non cognóvit; ego autem te co-
gnóvi et hi cognovérunt quia tu me misísti, [26] et notum feci
eis nomen tuum et notum fáciam, ut diléctio, qua dilexísti
me, in ipsis sit, et ego in ipsis ».

Verbum Dómini.

SECTIO TERTIA

Hæc sectio octo formularia proponit ad memoriam sanctæ Mariæ celebrandam sub titulis qui eius misericodem intercessionem in favorem fidelium ostendunt.

Formularia missarum

39. Sancta Maria, regina et mater misericordiæ.
40. Beata Maria Virgo, divinæ providentiæ mater.
41. Beata Maria Virgo, mater consolationis.
42. Beata Maria Virgo, auxilium christianorum.
43. Beata Maria Virgo de Mercede.
44. Beata Maria Virgo, salus infirmorum.
45. Beata Maria Virgo, regina pacis.
46. Beata Maria Virgo, ianua cæli.

39

SANCTA MARIA
REGINA ET MATER MISERICORDIÆ

*

LECTIO PRIMA

Regina Esther orat pro populo

Léctio libri Esther 4, 17n. p-r. aa-bb. hh-kk

In diébus illis:

17n Esther regína confúgit ad Dóminum pavens perículum mortis, quod imminébat.
17p Et cécidit super terram cum ancíllis suis a mane usque ad vésperam et dixit:

17q « Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Iacob,
benedíctus es.
Suffrága mihi soli
et non habénti defensórem præter te, Dómine,
17r quóniam perículum in manu mea est.

17aa Ego audívi ex libris maiórum meórum, Dómine
quóniam tu omnes complacéntes tibi líberas, Dómine,
usque in finem.
17bb Et nunc ádiuva me solitáriam
et néminem habéntem nisi te,
Dómine, Deus meus.

17hh Nos autem líbera de manu inimicórum nostrórum;
convérte luctum nostrum in lætítiam
et dolóres nostros in sanitátem.
17ii Surgéntes autem supra partem tuam, Deus,
fac in exémplum.
17kk Appáre, Dómine; manifestáre, Dómine! ».

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Lc 1, 46-48a. 48b-49. 50-51. 52-53. 54-55 (℟.: cf. 50)

℟. Misericórdia Dómini in progénies et progénies.

46 Magníficat ánima mea Dóminum,
47 et exsultávit spíritus meus in Deo salvatóre meo,
48 quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ. ℟.

Ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes,
49 quia fecit mihi magna, qui potens est,
et sanctum nomen eius. ℟.

50 Et misericórdia eius in progénies et progénies
timéntibus eum.
51 Fecit poténtiam in bráchio suo,
dispérsit supérbos mente cordis sui. ℟.

52 Depósuit poténtes de sede
et exaltávit húmiles;
53 esuriéntes implévit bonis
et dívites dimísit inánes. ℟.

54 Suscépit Israel púerum suum,
recordátus misericórdiæ,
55 sicut locútus est ad patres nostros,
Abraham et sémini eius in sǽcula. ℟.

ALLELUIA

℟. Allelúia.

℣. Regína mundi digníssima,
María Virgo perpétua,
intercéde pro nostra pace et salúte,
quæ genuísti Dóminum Salvatórem ómnium.

℟. Allelúia.

EVANGELIUM

Et erat mater Iesu ibi

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 2, 1-11

In illo témpore:

1 Núptiæ factæ sunt in Cana Galilǽæ, et erat mater Iesu ibi;
2 vocátus est autem et Iesus et discípuli eius ad núptias.
3 Et deficiénte vino, dicit mater Iesu ad eum: « Vinum non
habent ». 4 Et dicit ei Iesus: « Quid mihi et tibi, múlier?
Nondum venit hora mea ». 5 Dicit mater eius minístris:
« Quodcúmque díxerit vobis, fácite ».

6 Erant autem ibi lapídeæ hýdriæ sex pósitæ secúndum purifi-
catiónem Iudæórum, capiéntes síngulæ metrétas binas vel
ternas. 7 Dicit eis Iesus: « Impléte hýdrias aqua ». Et imple-
vérunt eas usque ad summum. 8 Et dicit eis: « Hauríte nunc
et ferte architriclíno ». Illi autem tulérunt. 9 Ut autem gus-
távit architriclínus aquam vinum factam et non sciébat un-
de esset, minístri autem sciébant, qui hauríerant aquam, vo-
cat sponsum architriclínus 10 et dicit ei: « Omnis homo pri-
mum bonum vinum ponit et, cum inebriáti fúerint, id quod
detérius est; tu servásti bonum vinum usque adhuc ».

11 Hoc fecit inítium signórum Iesus in Cana Galilǽæ et mani-
festávit glóriam suam, et credidérunt in eum discípuli eius.

Verbum Dómini.

39

SANCTA MARIA REGINA ET MATER MISERICORDIÆ

**

LECTIO PRIMA

Deus dives in misericordia

Léctio Epístulæ beáti Pauli apóstoli ad Ephésios 2, 4-10

Fratres:

4 Deus, qui dives est in misericórdia, propter nímiam caritá-
tem suam, qua diléxit nos, 5 et cum essémus mórtui peccátis,
convivificávit nos Christo — grátia estis salváti — 6 et con-
resuscitávit et consedére fecit in cæléstibus in Christo Iesu,
7 ut osténderet in sǽculis superveniéntibus abundántes di-
vítias grátiæ suæ in bonitáte super nos in Christo Iesu.

8 Grátia enim estis salváti per fidem; et hoc non ex vobis. Dei
donum est: 9 non ex opéribus, ut ne quis gloriétur. 10 Ipsíus
enim sumus factúra, creáti in Christo Iesu in ópera bona,
quæ præparávit Deus, ut in illis ambulémus.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 102, 1-2. 3-4. 6 et 8. 13 et 17 (℟.: cf. 17a)

℟. Misericórdia Dómini ab ætérno

1 Bénedic, ánima mea, Dómino,
et ómnia, quæ intra me sunt, nómini sancto eius.
2 Bénedic, ánima mea, Dómino,
et noli oblívisci omnes retributiónes eius. ℟.

3 Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis,
qui sanat omnes infirmitátes tuas;
4 qui rédimit de intéritu vitam tuam,
qui corónat te in misericórdia et miseratiónibus. ℟.

6 Fáciens iustítias Dóminus
et iudícium ómnibus iniúriam patiéntibus.
8 Miserátor et miséricors Dóminus,
longánimis et multæ misericórdiæ. ℟.

13 Quómodo miserétur pater filiórum,
misértus est Dóminus timéntibus se.
17 Misericórdia autem Dómini ab ætérno
et usque in ætérnum super timéntes eum;
et iustítia illíus in fílios filiórum. ℟.

ALLELUIA

℟. Allelúia.

℣. Salve, mater Dómini,
regína misericórdiæ,
solámen mundi ac spes miserórum.

℟. Allelúia.

EVANGELIUM

Misericordia eius in progenies et progenies timentibus eum

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 1, 39-55

39 Exsúrgens María in diébus illis ábiit in montána cum
festinatióne in civitátem Iudæ 40 et intrávit in domum Za-
charíæ et salutávit Elísabeth. 41 Et factum est ut audívit sa-
lutatiónem Maríæ Elísabeth, exsultávit infans in útero eius,
et repléta est Spíritu Sancto Elísabeth 42 et exclamávit voce
magna et dixit:

« Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris
tui. 43 Et unde hoc mihi, ut véniat mater Dómini mei ad me?
44 Ecce enim ut facta est vox salutatiónis tuæ in áuribus meis,
exsultávit in gáudio infans in útero meo. 45 Et beáta, quæ cré-
didit, quóniam perficiéntur ea, quæ dicta sunt ei a Dómino ».

46 Et ait María:
« Magníficat ánima mea Dóminum.
47 et exsultávit spíritus meus in Deo salvatóre meo,
48 quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ.
Ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes,
49 quia fecit mihi magna, qui potens est,
et sanctum nomen eius,
50 et misericórdia eius in progénies et progénies
timéntibus eum.
51 Fecit poténtiam in bráchio suo,
dispérsit supérbos mente cordis sui;
52 depósuit poténtes de sede
et exaltávit húmiles;
53 esuriéntes implévit bonis
et dívites dimísit inánes.
54 Suscépit Israel púerum suum,
recordátus misericórdiæ,
55 sicut locútus est ad patres nostros,
Abraham et sémini eius in sǽcula ».

Verbum Dómini.

40

BEATA MARIA VIRGO
DIVINÆ PROVIDENTIÆ MATER

Lectio prima

Quomodo si quem mater consolatur, ita ego consolabor vos

Léctio libri Isaíæ prophétæ 66, 10-14

10 Lætámini cum Ierúsalem et exsultáte in ea,
omnes, qui dilígitis eam;
gaudéte cum ea gáudio,
univérsi, qui lugebátis super eam,
11 ut sugátis et repleámini
ab úbere consolatiónis eius,
ut mulgeátis et delíciis affluátis
ex ubéribus glóriæ eius.

12 Quia hæc dicit Dóminus:
« Ecce ego dírigam ad eam quasi flúvium pacem,
et quasi torréntem inundántem glóriam géntium.
Sugétis, in ulnis portabímini,
et super génua blandiéntur vobis.
13 Quómodo si quem mater consolátur,
ita ego consolábor vos;
et in Ierúsalem consolabímini.
14 Vidébitis, et gaudébit cor vestrum,
et ossa vestra quasi herba germinábunt,
et manifestábitur manus Dómini in servis eius
et indignábitur inimícis suis ».

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS Ps 130, 1. 2. 3 (℟.: cf. Ps 56, 2c)

℟. In te, Dómine, confídit ánima mea.

1 Dómine, non est exaltátum cor meum,
neque eláti sunt óculi mei,
neque ambulávi in magnis
neque in mirabílibus super me. ℟.

2 Vere pacátam et quiétam
feci ánimam meam;
sicut ablactátus in sinu matris suæ,
sicut ablactátus, ita in me est ánima mea. ℟.

3 Speret Israel in Dómino
ex hoc nunc et usque in sǽculum. ℟.

ALLELUIA Io 2, 1

℟. Allelúia.

℣. Núptiæ factæ sunt in Cana Galilǽæ,
et erat mater Iesu ibi.

℟. Allelúia.

EVANGELIUM

Erat mater Iesu ibi. Et crediderunt in eum discipuli eius

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 2, 1-11

In illo témpore:

1 Núptiæ factæ sunt in Cana Galilǽæ, et erat mater Iesu ibi;
2 vocátus est autem et Iesus et discípuli eius ad núptias.
3 Et deficiénte vino, dicit mater Iesu ad eum: « Vinum non
habent ». 4 Et dicit ei Iesus: « Quid mihi et tibi, múlier?
Nondum venit hora mea ». 5 Dicit mater eius minístris:
« Quodcúmque díxerit vobis, fácite ».

6 Erant autem ibi lapídeæ hýdriæ sex pósitæ secúndum purifi-
catiónem Iudæórum, capiéntes síngulæ metrétas binas vel
ternas. 7 Dicit eis Iesus: « Impléte hýdrias aqua ». Et imple-
vérunt eas usque ad summum. 8 Et dicit eis: « Hauríte nunc
et ferte architriclíno ». Illi autem tulérunt. 9 Ut autem gus-
távit architriclínus aquam vinum factam et non sciébat un-
de esset, minístri autem sciébant, qui hauríerant aquam, vo-
cat sponsum architriclínus 10 et dicit ei: « Omnis homo pri-
mum bonum vinum ponit et, cum inebriáti fúerint, id quod
detérius est; tu servásti bonum vinum usque adhuc ».

11 Hoc fecit inítium signórum Iesus in Cana Galilǽæ et mani-
festávit glóriam suam, et credidérunt in eum discípuli eius.

Verbum Dómini.

41

BEATA MARIA VIRGO
MATER CONSOLATIONIS

LECTIO PRIMA △

Spiritus Domini misit me ut mederer contritis corde

Léctio libri Isaíæ prophétæ 61, 1-3. 10-11

1 Spíritus Dómini Dei super me,
eo quod únxerit Dóminus me;
ad annuntiándum læta mansuétis misit me,
ut medérer contrítis corde
et prædicárem captívis liberatiónem
et clausis apertiónem;
2 ut prædicárem annum placábilem Dómino
et diem ultiónis Deo nostro;
ut consolárer omnes lugéntes,
3 ut pónerem lugéntibus Sion
et darem eis corónam pro cínere,
óleum gáudii pro luctu,
pállium laudis pro spíritu mæróris.
Et vocabúntur Terebínthi iustítiæ,
plantátio Dómini ad glorificándum.

10 Gaudens gaudébo in Dómino,
et exsultábit ánima mea in Deo meo,
quia índuit me vestiméntis salútis
et induménto iustítiæ circúmdedit me,
quasi sponsum decorátum coróna
et quasi sponsam ornátam monílibus suis.
11 Sicut enim terra profert germen suum
et sicut hortus semen suum gérminat,

sic Dóminus Deus germinábit iustítiam
et laudem coram univérsis géntibus.

Verbum Dómini.

Vel:

Consolatur nos Deus ut possimus
et ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt

Léctio Epístulæ secúndæ beáti Pauli apóstoli
ad Corínthios 1, 3-7

Fratres:

3 Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi, Pater
misericordiárum et Deus totíus consolatiónis, 4 qui consolá-
tur nos in omni tribulatióne nostra, ut possímus et ipsi con-
solári eos, qui in omni pressúra sunt, per exhortatiónem, qua
exhortámur et ipsi a Deo; 5 quóniam, sicut abúndant pas-
siónes Christi in nobis, ita per Christum abúndat et conso-
látio nostra.

6 Sive autem tribulámur, pro vestra exhortatióne et salúte;
sive exhortámur, pro vestra exhortatióne, quæ operátur in
tolerántia earúndem passiónum, quas et nos pátimur. 7 Et
spes nostra firma pro vobis, sciéntes quóniam, sicut sócii
passiónum estis, sic éritis et consolatiónis.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Is 12, 1. 2-3. 4bcd. 5-6 (℟.: 3)

℟. Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus salútis.

1 Confitébor tibi, Dómine,
quóniam cum irátus eras mihi,
convérsus est furor tuus, et consolátus es me. ℟.

2 Ecce Deus salútis meæ;
fiduciáliter agam et non timébo,
quia fortitúdo mea et laus mea Dóminus,
et factus est mihi in salútem.
3 Et hauriétis aquas in gáudio de fóntibus salutis. ℟.

4 Confitémini Dómino et invocáte nomen eius,
notas fácite in pópulis adinventiónes eius;
mementóte quóniam excélsum est nomen eius. ℟.

5 Cantáte Dómino, quóniam magnífice fecit;
notum sit hoc in univérsa terra.
6 Exsúlta et lauda, quæ hábitas in Sion,
quia magnus in médio tui Sanctus Israel. ℟.

ALLELUIA Mt 5, 5

℟. Allelúia.

℣. Beáti qui lugent,
quóniam ipsi consolabúntur.

℟. Allelúia.

EVANGELIUM △

Beati qui lugent, quoniam consolabuntur

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum 5, 1-12

In illo témpore:

1 Videns Iesus turbas, ascéndit in montem; et cum sedísset,
accessérunt ad eum discípuli eius; 2 et apériens os suum do-
cébat eos dicens:
3 « Beáti páuperes spíritu,
quóniam ipsórum est regnum cælórum.
4 Beáti, qui lugent, quóniam ipsi consolabúntur.
5 Beáti mites, quóniam ipsi possidébunt terram.

[6] Beáti, qui esúriunt et sítiunt iustítiam,
quóniam ipsi saturabúntur.
[7] Beáti misercórdes, quia ipsi misericórdiam consequéntur.
[8] Beáti mundo corde, quóniam ipsi Deum vidébunt.
[9] Beáti pacífici, quóniam fílii Dei vocabúntur.
[10] Beáti, qui persecutiónem patiúntur propter iustitíam,
quóniam ipsórum est regnum cælórum.

[11] Beáti estis cum maledíxerint vobis et persecúti vos fúerint
et díxerint omne malum advérsum vos, mentiéntes, propter
me; [12] gaudéte et exsultáte, quóniam merces vestra copiósa
est in cælis; sic enim persecúti sunt prophétas, qui fuérunt
ante vos ».

Verbum Dómini.

Vel:

Rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis,
ut maneat vobiscum in æternum

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem
14, 15-21. 25-27

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis:

[15] Si diligitis me, mandáta mea servábitis; [16] et ego rogábo Pa-
trem et álium Parácltum dabit vobis, ut máneat vobíscum
in ætérnum, [17] Spíritum veritátis, quem mundus non potest
accípere, quia non videt eum nec cognóscit. Vos cognóscitis
eum, quia apud vos manet; et in vobis erit.

[18] Non relínquam vos órphanos, vénio ad vos. [19] Adhuc módi-
cum, et mundus me iam non videt; vos autem vidétis me,
quia ego vivo et vos vivétis. [20] In illo die vos cognoscétis quia
ego sum in Patre meo, et vos in me et ego in vobis. [21] Qui
habet mandáta mea et servat ea, ille est qui díligit me; qui
autem díligit me, diligétur a Patre meo, et ego díligam eum
et manifestábo ei meípsum ».

25 Hæc locútus sum vobis apud vos manens. 26 Paráclitus au-
tem, Spíritus Sanctus, quem mittet Pater in nómine meo,
ille vos docébit ómnia et súggeret vobis ómnia, quæ dixi
vobis. 27 Pacem relínquo vobis, pacem meam do vobis; non
quómodo mundus dat, ego do vobis. Non turbétur cor ves-
trum neque formídet.

Verbum Dómini.

42

BEATA MARIA VIRGO
AUXILIUM CHRISTIANORUM

LECTIO PRIMA △

Signum magnum apparuit in cælo

Léctio libri Apocalýpsis 12, 1-3. 7-12ab. 17

1 Signum magnum appáruit in cælo: múlier amícta sole, et
luna sub pédibus eius, et super caput eius coróna stellárum
duódecim; 2 et in útero habens, et clamat partúriens et cru-
ciátur ut páriat.

3 Et visum est áliud signum in cælo: et ecce dracus rufus
magnus, habens cápita septem in córnua decem, et super
cápita sua septem diadémata.

7 Et factum est prœlium in cælo, Míchael et ángeli eius, ut prœ-
liaréntur cum dracóne. Et draco pugnávit et ángeli eius, 8 et
non váluit, neque locus invéntus est eórum ámplius in cælo.
9 Et proiéctus est draco ille magnus, serpens antíquus, qui
vocátur Diábolus et Sátanas, qui sedúcit univérsum orbem,
proiéctus est in terram, et ángeli eius cum illo proiécti sunt.

10 Et audívi vocem magnam in cælo dicéntem:
« Nunc facta est salus et virtus et regnum Dei nostri
et potéstas Christi eius,
quia proiéctus est accusátor fratrum nostrórum,
qui accusábat illos ante conspéctum Dei nostri die ac nocte.
11 Et ipsi vicérunt illum propter sánguinem Agni
et propter verbum testimónii sui;
et non dilexérunt ánimam suam
usque ad mortem.

12 Proptérea lætámini, cæli,
et qui habitátis in eis ».

17 Et irátus est draco in mulíerem et ábiit fácere prœlium cum
réliquis de sémine eius, qui custódiunt mandáta Dei et ha-
bent testimónium Iesu.

Verbum Dómini.

Vel:

Inimicitias ponam inter te et mulierem

Léctio libri Génesis 3, 1-6. 13-15

1 Serpens erat callídior cunctis animántibus agri, quæ féce-
rat Dóminus Deus. Qui dixit ad mulíerem: « Veréne præ-
cépit vobis Deus, ut non comederétis de omni ligno para-
dísi? ».

2 Cui respóndit múlier: « De fructu lignórum, quæ sunt in
paradíso, véscimur; 3 de fructu vero ligni, quod est in médio
paradísi, præcépit nobis Deus, ne comederémus et ne tan-
gerémus illud, ne moriámur ».

4 Dixit autem serpens ad mulíerem: « Nequáquam morte
moriémini! 5 Scit enim Deus quod in quocúmque die come-
déritis ex eo, aperiéntur óculi vestri, et éritis sicut Deus scién-
tes bonum et malum ».

6 Vidit ígitur múlier quod bonum esset lignum ad vescén-
dum et pulchrum óculis et desiderábile esset lignum ad in-
tellegéndum; et tulit de fructu illíus et comédit dedítque
étiam viro suo secum, qui comédit.

13 Et dixit Dóminus Deus ad mulíerem: « Quid hoc fecísti? ».
Quæ respóndit: « Serpens decépit me, et comédi ».

14 Et ait Dóminus Deus ad serpéntem:
« Quia fecísti hoc,
maledíctus es inter ómnia pécora
et omnes béstias agri!
Super pectus tuum gradiéris
et púlverem cómedes cunctis diébus vitæ tuæ.

15 Inimicítias ponam inter te et mulíerem
et semen tuum et semen illíus;
ipsum cónteret caput tuum,
et tu cónteres calcáneum eius ».

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS Iudt 16, 13. 14. 15 (℟.: 2d)

℟. Exaltáte et invocáte nomen Dómini.

13 Cantábo Deo meo hymnum novum:
Dómine, magnus es tu et clarus,
mirábilis in virtúte et insuperábilis. ℟.

14 Tibi sérviat omnis creatúra tua,
quóniam dixísti, et facta sunt,
misísti spíritum tuum, et ædificáta sunt,
et non est qui resístat voci tuæ. ℟.

15 Montes enim a fundaméntis agitabúntur cum aquis,
petræ autem a fácie tua tamquam cera liquéscent.
Illis autem qui timent te
propítius adhuc eris. ℟.

ALLELUIA Lc 1, 45

℟. Allelúia.

℣. Beáta quæ crédidit
quóniam perficiéntur ea
quæ dicta sunt ei a Dómino.

℟. Allelúia.

EVANGELIUM

Hoc fecit initium signorum Iesus

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 2, 1-11

In illo témpore:

1 Núptiæ factæ sunt in Cana Galilǽæ, et erat mater Iesu ibi;
2 vocátus est autem et Iesus et discípuli eius ad núptias.
3 Et deficiénte vino, dicit mater Iesu ad eum: « Vinum non
habent ». 4 Et dicit ei Iesus: « Quid mihi et tibi, múlier?
Nondum venit hora mea ». 5 Dicit mater eius minístris:
« Quodcúmque díxerit vobis, fácite ».

6 Erant autem ibi lapídeæ hýdriæ sex pósitæ secúndum purifi-
catiónem Iudæórum, capiéntes síngulæ metrétas binas vel
ternas. 7 Dicit eis Iesus: « Impléte hýdrias aqua ». Et imple-
vérunt eas usque ad summum. 8 Et dicit eis: « Hauríte nunc
et ferte architriclíno ». Illi autem tulérunt. 9 Ut autem gus-
távit architriclínus aquam vinum factam et non sciébat un-
de esset, minístri autem sciébant, qui hauríerant aquam, vo-
cat sponsum architriclínus 10 et dicit ei: « Omnis homo pri-
mum bonum vinum ponit et, cum inebriáti fúerint, id quod
detérius est; tu servásti bonum vinum usque adhuc ».

11 Hoc fecit inítium signórum Iesus in Cana Galilǽæ et mani-
festávit glóriam suam, et credidérunt in eum discípuli eius.

Verbum Dómini.

43

BEATA MARIA VIRGO DE MERCEDE

LECTIO PRIMA

Manus Domini confortavit me

Léctio libri Iudith 15, 8-10; 16, 13-14

In diébus illis:

8 Venit Ióachim sacérdos magnus et senióres filiórum Israel,
qui inhabitábant Ierúsalem, ut vidérent bona, quæ fecit Dó-
minus Israel, et ut vidérent Iudith et loqueréntur cum illa
in pace. 9 Et, ut éxiit ad illos Iudith, benedixérunt simul
eam omnes et dixérunt ad illam:

« Tu exaltátio Ierúsalem,
tu glória magna Israel,
tu laus magna géneris nostri.
10 Fecísti ómnia hæc in manu tua,
fecísti bona cum Israel,
et complácuit in illis Deus.
Benedícta esto tu, múlier,
apud Deum omnipoténtem
in ætérnum tempus ».

Et dixit omnis pópulus:
« Fiat, fiat! ».

Dixit autem Iudith:
16,13 « Cantábo Deo meo hymnum novum:
Dómine magnus es tu et clarus,
mirábilis in virtúte et insuperábilis.

14 Tibi sérviat omnis creatúra tua,
quóniam dixísti, et facta sunt,
misísti spíritum tuum, et ædificáta sunt,
et non est qui resístat voci tuæ ».

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Lc 1, 46-48a. 48b-49. 50-51. 52-53. 54-55

℟. Dóminus misértus est pópuli sui.

46 Magníficat ánima mea Dóminum,
47 et exsultávit spíritus meus in Deo salvatóre meo,
48 quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ. ℟.

Ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes,
49 quia fecit mihi magna, qui potens est,
et sanctum nomen eius. ℟.

50 Et misericórdia eius in progénies et progénies
timéntibus eum.
51 Fecit poténtiam in bráchio suo,
dispérsit supérbos mente cordis sui. ℟.

52 Depósuit poténtes de sede
et exaltávit húmiles;
53 esuriéntes implévit bonis
et dívites dimísit inánes. ℟.

54 Suscépit Israel púerum suum,
recordátus misericórdiæ,
55 sicut locútus est ad patres nostros,
Abraham et sémini eius in sæcula. ℟.

ALLELUIA Cf. Lc 1, 45

℟. Allelúia.

℣. Beáta es, Virgo María,
quæ credidísti quóniam perficiéntur ea,
quæ dicta sunt tibi a Dómino.

℟. Allelúia.

EVANGELIUM

Mulier, ecce filius tuus

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 19, 25-27

In illo témpore:

25 Stabant iuxta crucem Iesu mater eius et soror matris eius,
María Cléopæ, et María Magdaléne.

26 Cum vidísset ergo Iesus matrem et discípulum stantem,
quem diligébat, dicit matri: « Múlier, ecce fílius tuus ».
27 Deínde dicit discípulo: « Ecce mater tua ».

Et ex illa hora accépit eam discípulus in sua.

Verbum Dómini.

44
BEATA MARIA VIRGO, SALUS INFIRMORUM

LECTIO PRIMA

Vere languores nostros ipse tulit

Léctio libri Isaíæ prophétæ 53, 1-5. 7-10

1 Quis crédidit audítui nostro,
et bráchium Dómini cui revelátum est?
2 Et ascéndit sicut virgúltum coram eo
et sicut radix de terra sitiénti.
Non erat spécies ei neque decor, ut aspicerémus eum,
et non erat aspéctus, ut desiderarémus eum.
3 Despéctus erat et novíssimus virórum,
vir dolórum et sciens infirmitátem,
et quasi abscondebámus vultum coram eo;
despéctus, unde nec reputabámus eum.
4 Vere languóres nostros ipse tulit
et dolóres nostros ipse portávit;
et nos putávimus eum quasi plagátum,
percússum a Deo et humiliátum.
5 Ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras.
attrítus est propter scélera nostra;
disciplína pacis nostræ super eum,
et livóre eius sanáti sumus.

7 Afflíctus est et ipse subiécit se
et non apéruit os suum;
sicut agnus, qui ad occisiónem dúcitur,
et quasi ovis, quæ coram tondéntibus se obmútuit
et non apéruit os suum.
8 Angústia et iudício sublátus est.

De generatióne eius quis curábit?
Quia abscíssus est de terra vivéntium;
propter scelus pópuli mei percússus est ad mortem.
9 Et posuérunt sepúlcrum eius cum ímpiis,
cum divítibus túmulum eius,
eo quod iniquitátem non fécerit,
neque dolus fúerit in ore eius.
10 Et Dóminus vóluit contérere eum infirmitáte.
Si posúerit in piáculum ánimam suam,
vidébit semen longǽvum,
et volúntas Dómini in manu eius prosperábitur.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 102, 1-2. 3-4. 6-7. 8 et 10 (℟.: 1a. 3b)

℟. Bénedic, ánima mea, Dómino,
qui sanat omnes infirmitátes tuas.

1 Bénedic, ánima mea, Dómino,
et ómnia, quæ intra me sunt, nómini sancto eius.
2 Bénedic, ánima mea, Dómino,
et noli oblívisci omnes retributiónes eius. ℟.

3 Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis,
qui sanat omnes infirmitátes tuas;
4 qui rédimit de intéritu vitam tuam,
qui corónat te in misericórdia et miseratiónibus. ℟.

6 Fáciens iustítias Dóminus
et iudícium ómnibus iniúriam patiéntibus.
7 Notas fecit vias suas Móysi,
fíliis Israel adinventiónes suas. ℟.

8 Miserátor et miséricors Dóminus,
longánimis et multæ misericórdiæ.
10 Non secúndum peccáta nostra fecit nobis
neque secúndum iniquitátes nostras retríbuit nobis. ℟.

ALLELUIA Cf. Lc 1, 45

℟. Allelúia.

℣. Beáta es, Virgo María,
quæ credidísti quóniam perficiéntur ea,
quæ dicta sunt tibi a Dómino.

℟. Allelúia.

EVANGELIUM

Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 1, 39-56

39 Exsúrgens María in diébus illis ábiit in montána cum
festinatióne in civitátem Iudæ 40 et intrávit in domum Za-
charíæ et salutávit Elísabeth. 41 Et factum est ut audívit sa-
lutatiónem Maríæ Elísabeth, exsultávit infans in útero eius,
et repléta est Spíritu Sancto Elísabeth 42 et exclamávit voce
magna et dixit:

« Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris
tui. 43 Et unde hoc mihi, ut véniat mater Dómini mei ad me?
44 Ecce enim ut facta est vox salutatiónis tuæ in áuribus meis,
exsultávit in gáudio infans in útero meo. 45 Et beáta, quæ cré-
didit, quóniam perficiéntur ea, quæ dicta sunt ei a Dómino ».

46 Et ait María:
« Magníficat ánima mea Dóminum,
47 et exsultávit spíritus meus in Deo salvatóre meo,
48 quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ.
Ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes,
49 quia fecit mihi magna, qui potens est,
et sanctum nomen eius,
50 et misericórdia eius in progénies et progénies
timéntibus eum.

51 Fecit poténtiam in bráchio suo,
dispérsit supérbos mente cordis sui;
52 depósuit poténtes de sede
et exaltávit húmiles;
53 esuriéntes implévit bonis
et dívites dimísit inánes.
54 Suscépit Israel púerum suum,
recordátus misericórdiæ,
55 sicut locútus est ad patres nostros,
Abraham et sémini eius in sǽcula ».

56 Mansit autem María cum illa quasi ménsibus tribus et re-
vérsa est in domum suam.

Verbum Dómini.

45

BEATA MARIA VIRGO, REGINA PACIS

LECTIO PRIMA

Magnum erit eius imperium, et pacis non erit finis

Léctio libri Isaíæ prophétæ 9, 1-3. 5-6

1 Pópulus, qui ambulábat in ténebris,
vidit lucem magnam;
habitántibus in regióne umbræ mortis
lux orta est eis.
2 Multiplicásti exsultatiónem
et magnificásti lætítiam;
lætántur coram te
sicut lætántes in messe,
sicut exsúltant, quando dívidunt spólia.
3 Iugum enim óneris eius
et virgam úmeri eius
et sceptrum exactóris eius
fregísti, sicut in die Mádian.

5 Párvulus enim natus est nobis,
fílius datus est nobis;
et factus est principátus super úmerum eius;
et vocábitur nomen eius
admirábilis Consiliárius, Deus fortis,
Pater æternitátis, Princeps pacis.

6 Magnum erit eius impérium,
et pacis non erit finis
super sólium David et super regnum eius,

ut confírmet illud et corróboret in iudício et iustítia
ámodo et usque in sempitérnum:
zelus Dómini exercítuum fáciet hoc.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 84, 9ab-10. 11-12. 13-14 (℟.: cf. 9)

℟. Lóquitur pacem Dóminus ad plebem.

9 Audiam, quid loquátur Dóminus Deus,
quóniam loquétur pacem ad plebem suam et sanctos suos.
10 Vere prope timéntes eum salutáre ipsíus,
ut inhábitet glória in terra nostra. ℟.

11 Misericórdia et véritas obviavérunt sibi,
iustítia et pax osculátæ sunt.
12 Véritas de terra orta est,
et iustítia de cælo prospéxit. ℟.

13 Etenim Dóminus dabit benignitátem,
et terra nostra dabit fructum suum.
14 Iustítia ante eum ambulábit,
et ponet in via gressus suos. ℟.

ALLELUIA

Cf. Lc 1, 28

℟. Allelúia.

℣. Ave, María, grátia plena,
Dóminus tecum,
benedícta tu in muliéribus.

℟. Allelúia.

EVANGELIUM

Ecce concipies in utero et paries filium

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 1, 26-38

In illo témpore:

26 Missus est ángelus Gábriel a Deo in civitátem Galilǽæ, cui
nomen Názareth, 27 ad vírginem desponsátam viro, cui no-
men erat Ioseph de domo David, et nomen vírginis María.

28 Et ingréssus ad eam dixit: « Ave, grátia plena, Dóminus
tecum ». 29 Ipsa autem turbáta est in sermóne eius et co-
gitábat qualis esset ista salutátio.

30 Et ait ángelus ei: « Ne tímeas, María; invenísti enim grá-
tiam apud Deum. 31 Et ecce concípies in útero et páries fí-
lium, et vocábis nomen eius Iesum. 32 Hic erit magnus et
Fílius Altíssimi vocábitur, et dabit illi Dóminus Deus sedem
David patris eius, 33 et regnábit super domum Iacob in ætér-
num, et regni eius non erit finis ».

34 Dixit autem María ad ángelum: « Quómodo fiet istud, quó-
niam virum non cognósco? ».

35 Et respóndens ángelus dixit ei: « Spíritus Sanctus super-
véniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi: ideóque
et quod nascétur sanctum, vocábitur Fílius Dei. 36 Et ecce
Elísabeth cognáta tua et ipsa concépit fílium in senécta
sua, et hic mensis est sextus illi, quæ vocátur stérilis, 37 quia
non erit impossíbile apud Deum omne verbum ».

38 Dixit autem María: « Ecce ancílla Dómini; fiat mihi secún-
dum verbum tuum ». Et discéssit ab illa ángelus.

Verbum Dómini.

46

BEATA MARIA VIRGO, IANUA CÆLI

LECTIO PRIMA (App 2)

Vidi Ierusalem novam,
paratam sicut sponsam ornatam viro suo

Léctio libri Apocalýpsis 21, 1-5a

Ego, Ioánnes, [1] vidi cælum novum et terram novam; primum
enim cælum et prima terra abiérunt, et mare iam non est.
[2] Et civitátem sanctam Ierúsalem novam vidi descendéntem
de cælo a Deo, parátam sicut sponsam ornátam viro suo.

[3] Et audívi vocem magnam de throno dicéntem: « Ecce taber-
náculum Dei cum homínibus! Et habitábit cum eis, et ipsi
pópuli eius erunt, et ipse Deus cum eis erit eórum Deus, [4] et
abstérget omnem lácrimam ab óculis eórum, et mors ultra
non erit, neque luctus neque clamor neque dolor erit ultra,
quia prima abiérunt ».

[5] Et dixit, qui sedébat super throno: « Ecce nova fácio ómnia ».

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS Ps 121, 1-2. 3-4. 8-9 (℟.: cf. 1b)

℟. In domum Dómini lætántes íbimus.

[1] Lætátus sum in eo quod dixérunt mihi:
« In domum Dómini íbimus ».
[2] Stantes iam sunt pedes nostri
in portis tuis, Ierúsalem. ℟.

3 Ierúsalem, quæ ædificáta est ut cívitas,
sibi compácta in idípsum.
4 Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini,
testimónium Israel, ad confiténdum nómini Dómini. ℟.

8 Propter fratres meos et próximos meos
loquar: « Pax in te! ».
9 Propter domum Dómini Dei nostri
exquíram bona tibi. ℟.

ALLELUIA

℟. Allelúia.

℣. Paradísi portæ,
quas Eva clausit,
per te apértæ sunt,
Virgo María.

℟. Allelúia.

EVANGELIUM

Ecce sponsus! Exite obviam ei

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum 25, 1-13

In illo témpore:
Dixit Iesus discípulis suis parábolam hanc:
1 Tunc símile erit regnum cælórum decem virgínibus, quæ
accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso. 2 Quin-
que autem ex eis erant fátuæ et quinque prudéntes. 3 Fátuæ
enim, accéptis lampádibus suis, non sumpsérunt óleum se-
cum; 4 prudéntes vero accepérunt óleum in vasis cum lampá-
dibus suis.

5 Moram autem faciénte sponso, dormitavérunt omnes et dor-
miérunt. 6 Média autem nocte clamor factus est: « Ecce spon-
sus! Exíte óbviam ei ». 7 Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ

et ornavérunt lámpades suas. 8 Fátuæ autem sapiéntibus di-
xérunt: « Date nobis de óleo vestro, quia lámpades nostræ ex-
tinguúntur ». 9 Respondérunt prudéntes dicéntes: « Ne forte
non suffíciat nobis et vobis, ite pótius ad vendéntes et émite
vobis ».

10 Dum autem irent émere, venit sponsus, et quæ parátæ erant,
intravérunt cum eo ad núptias; et clausa est iánua. 11 No-
víssime autem véniunt et réliquæ vírgines dicéntes: « Dó-
mine, Dómine, áperi nobis ». 12 At ille respóndens ait: « Amen
dico vobis: Néscio vos ».

13 Vigiláte ítaque, quia nescítis diem neque horam.

Verbum Dómini.

APPENDIX

Hac Appendice continentur nonnulli textus (I. Lectio prima e Vetere Testamento. II. Lectio prima e Novo Testamento. III. Evangelium) vel ex *Ordine Lectionum Missæ* vel e *Propriis missarum* desumpti, quos celebrans, secundum ea quæ in Prænotandis huius voluminis, n. 4c) dicuntur, attentis præsertim mysterio celebrando et tempore liturgico, adhibere potest loco eorum qui in unoquoque formulario inveniuntur.

I

LECTIO PRIMA E VETERE TESTAMENTO

1.

LECTIO PRIMA

Non pepercisti filio tuo unigenito

Léctio libri Génesis 22, 1-2. 9-13. 15-18

In diébus illis:
1 Tentávit Deus Abraham et dixit ad eum: « Abraham ». Ille
respóndit: « Adsum ». 2 Ait: « Tolle fílium tuum unigénitum,
quem díligis, Isaac et vade in terram Mória; atque offer eum
ibi in holocáustum super unum móntium, quem monstrávero
tibi ».

9 Et venérunt ad locum, quem osténderat ei Deus, in quo ædi-
ficávit Abraham altáre et désuper ligna compósuit. Cumque
colligásset Isaac fílium suum, pósuit eum in altári super
struem lignórum 10 extendítque Abraham manum et arrípuit
cultrum, ut immoláret fílium suum.

11 Et ecce ángelus Dómini de cælo clamávit: « Abraham, Abra-
ham ». Qui respóndit: « Adsum ». 12 Dixítque: « Non extén-
das manum tuam super púerum neque fácias illi quidquam.
Nunc cognóvi quod times Deum et non pepercísti fílio tuo
unigénito propter me ». 13 Levávit Abraham óculos suos vi-
dítque aríetem unum inter vepres hæréntem córnibus; quem
assúmens óbtulit holocáustum pro fílio.

15 Vocávit autem ángelus Dómini Abraham secúndo de cælo et
dixit: 16 « Per memetípsum iurávit, dicit Dóminus: quia
fecísti hanc rem et non pepercísti fílio tuo unigénito, 17 bene-
dícam tibi et multiplicábo semen tuum sicut stellas cæli et

velut arénam, quæ est in litóre maris. Possidébit semen tuum portas inimicórum suórum, [18] et benedicéntur in sémine tuo omnes gentes terræ, quia obœdísti voci meæ ».

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS Ps 15, 5 et 8. 9-10. 11 (℟.: 1)

℟. Consérva me, Deus, quóniam sperávi in te.

5 Dóminus pars hereditátis meæ et cálicis mei:
tu es qui détines sortem meam.
8 Proponébam Dóminum in conspéctu meo semper,
quóniam a dextris est mihi, non commovébor. ℟.

9 Propter hoc lætátum est cor meum,
et exsultavérunt præcórdia mea;
ínsuper et caro mea requiéscet in spe.
10 Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno,
nec dabis sanctum tuum vidére corruptiónem. ℟.

11 Notas mihi fácies vias vitæ,
plenitúdinem lætítiæ cum vultu tuo,
delectatiónes in déxtera tua usque in finem. ℟.

2.

LECTIO PRIMA

Non est hic aliud nisi domus Dei et porta cæli

Léctio libri Génesis 28, 10-17

In diébus illis:

10 Egréssus Iacob de Bersabée pergébat Charran. 11 Cumque
venísset ad quendam locum et vellet in eo requiéscere post solis occúbitum, tulit de lapídibus, qui iacébant, et suppónens cápiti suo dormívit in eódem loco.

12 Vidítque in sómnio scalam stantem super terram et cacúmen illíus tangens cælum, ángelos quoque Dei ascendéntes
et descendéntes per eam 13 et Dóminum innı́xum scalæ dicén-
tem sibi: « Ego sum Dóminus Deus Abraham patris tui et Deus Isaac. Terram, in qua dormis, tibi dabo et sémini tuo.
14 Erítque semen tuum quasi pulvis terræ; dilatáberis ad occidéntem et oriéntem et septentriónem et merídiem; et benedicéntur in te et in sémine tuo cunctæ tribus terræ.
15 Et ecce, ego tecum sum et custódiam te, quocúmque per-
réxeris, et redúcam te in terram hanc; nec dimíttam te, nisi complévero quæ dixi tibi ».

16 Cumque evigilásset Iacob de somno, ait: « Vere Dóminus
est in loco isto, et ego nesciébam ». 17 Pavénsque: « Quam
terríbilis est, inquit, locus iste! Non est hic áliud nisi domus Dei et porta cæli ».

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 23, 1-2. 3-4 ab. 5-6 (℟.: 2 Chron 7, 16 a)

℟. Elégi et sanctificávi locum istum.

1 Dómini est terra et plenitúdo eius,
orbis terrárum et qui hábitant in eo.
2 Quia ipse super mária fundávit eum
et super flúmina firmávit eum. ℟.

3 Quis ascéndet in montem Dómini,
aut quis stabit in loco sancto eius?
4 Innocens mánibus et mundo corde,
qui non levávit ad vana ánimam suam. ℟.

5 Hic accípiet benedictiónem a Dómino
et iustificatiónem a Deo salutári suo.
6 Hæc est generátio quæréntium eum,
quæréntium fáciem Dei Iacob. ℟.

3.

LECTIO PRIMA

Rubum, quem viderat Moyses incombustum,
conservatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem

Léctio libri Exodi 3, 1-8

In diébus illis:

1 Pascébat Móyses oves Iethro sóceri sui sacerdótis Mádian;
cumque minásset gregem ultra desértum, venit ad montem
Dei Horeb. 2 Apparuítque ei ángelus Dómini in flamma ignis
de médio rubi; et vidébat quod rubus ardéret et non com-
burerétur.

3 Dixit ergo Móyses: « Vadam et vidébo visiónem hanc ma-
gnam, quare non comburátur rubus ». 4 Cernens autem Dó-
minus quod pérgeret ad vidéndum, vocávit eum Deus de
médio rubi et ait: « Móyses, Móyses ».

Qui respóndit: « Adsum ».

5 At ille: « Ne apprópies, inquit, huc; solve calceaméntum de
pédibus tuis; locus enim, in quo stas, terra sancta est ».
6 Et ait: « Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus
Isaac et Deus Iacob ». Abscóndit Móyses fáciem suam; non
enim audébat aspícere contra Deum.

7 Cui ait Dóminus: « Vidi afflictiónem pópuli mei in Ægýpto
et clamórem eius audívi propter durítiam exactórum eórum.
8 Et sciens dolórem eius descéndi, ut líberem eum de máni-
bus Ægyptiórum et edúcam de terra illa in terram bonam
et spatiósam, in terram, quæ fluit lacte et melle ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 102, 1-2. 3-4. 6-7. 8 et 11 (℟.: 8 a)

℟. Miserátor et misericors Dóminus.

1 Bénedic, ánima mea, Dómino,
et ómnia quæ intra me sunt, nómini sancto eius.
2 Bénedic, ánima mea, Dómino,
et noli oblivísci omnes retributiónes eius. ℟.

3 Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis,
qui sanat omnes infirmitátes tuas;
4 qui rédimit de intéritu vitam tuam,
qui corónat te in misericórdia et miseratiónibus. ℟.

6 Fáciens iustítias Dóminus,
et iudícium ómnibus iniúriam patiéntibus.
7 Notas fecit vias suas Móysi,
fíliis Israel adinventiónes suas. ℟.

8 Miserátor et misericors Dóminus,
longánimis et multæ misericórdiæ.
11 Quóniam, quantum exaltátur cælum a terra,
præváluit misericórdia eius super timéntes eum. ℟.

4.

LECTIO PRIMA

Oritur stella ex Iacob, consurgit virga de Israel

Léctio libri Númeri 24, 15-17 a

In diébus illis:
Sumpta parábola Bálaam ait:
15 « Dixit Bálaam fílius Beor,
dixit homo, cuius apértus est óculus;
16 dixit audítor sermónum Dei,
qui novit doctrínam Altíssimi
et visiónes Omnipoténtis videt,
qui cadens apértos habet óculos.

17 Vídeo eum, sed non modo;
intúeor illum, sed non prope.
Oritur stella ex Iacob,
et consúrgit virga de Israel;
et pércutit témpora Moab
et vérticem ómnium filiórum Seth ».

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS Ps 71, 1-2. 7-8. 12-13. 17 (℟.: 7)

℟. Florébit in diébus eius iustítia et abundántia pacis.

1 Deus, iudícium tuum regi da
et iustítiam tuam fílio regis;
2 iúdicet pópulum tuum in iustítia,
et páuperes tuos in iudício. ℟.

7 Florébit in diébus eius iustítia et abundántia pacis,
donec auferátur luna.
8 Et dominábitur a mari usque ad mare
et a Flúmine usque ad términos orbis terrárum. ℟.

12 Quia liberábit ínopem clamántem,
et páuperem, cui non erat audiútor.
13 Parcet páuperi et ínopi
et ánimas páuperum salvas fáciet. ℟.

17 Sit nomen eius benedíctum in sæcula,
ante solem permanébit nomen eius.
Et benedicéntur in ipso omnes tribus terræ,
omnes gentes magnificábunt eum. ℟.

5.

LECTIO PRIMA

Dedit illi Dominus ut conciperet et pareret filium.
Hic est Obed, pater Isai patris David

Léctio libri Ruth 2, 1-2. 8-11; 4, 13-17

1 Erat Noémi consanguíneus viri sui homo potens et fortis
nómine Booz.

2 Dixítque Ruth Moabítis ad socrum suam: « Si permíttis,
vadam in agrum et cólligam spicas, quæ fúgerint manus
meténtium, ubicúmque cleméntis in me patris famílias rep-
pérero grátiam ». Cui illa respóndit: « Vade, fília mea ».

8 Et ait Booz ad Ruth: « Audi, fília: ne vadas ad colligéndum
in álterum agrum nec recédas ab hoc loco, sed iúngere
puéllis meis.
9 Vide et, ubi messúerint, séquere eas; mandávi
enim púeris, ut nemo tibi moléstus sit; sed, si sitíeris, vade
ad sarcínulas et bibe de aqua, quam pueri háuserint ».

10 Quæ cadens in fáciem suam et adórans super terram dixit
ad eum: « Unde mihi hoc, ut invenírem grátiam ante óculos
tuos, et nosse me dignaréris peregrínam mulíerem? ».

11 Cui ille respóndit: « Nuntiáta sunt mihi ómnia, quæ féceris
sócrui tuæ post mortem viri tui, et quod derelíqueris pa-
réntes tuos et terram, in qua nata es, et véneris ad pópulum,
quem ante nesciébas.

4,13 Tulit ítaque Booz Ruth et accépit uxórem; ingressúsque est
ad eam, et dedit illi Dóminus, ut concíperet et páreret fílium.

14 Dixerúntque mulíeres ad Noémi: « Benedíctus Dóminus, qui
non est passus, ut defíceret tibi hódie, qui rédimit famíliam
tuam, et vocétur nomen eius in Israel
15 et consolétur áni-
mam tuam et enútriat senectútem; de nuru enim tua natus
est, quæ te díligit et multo tibi est mélior quam septem
fílii ».
16 Susceptúmque Noémi púerum pósuit in sinu suo
et gérulæ offício fungebátur.

[17] Vicínæ autem mulíeres congratulántes ei et dicéntes: « Na-
tus est fílius Noémi! », vocavérunt nomen eius Obed. Hic
est pater Isai patris David.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

1 Sam 2, 1. 4-5. 6-7. 8abcd (℟.: cf. 1a)

℟. Exsultávit cor meum in Dómino salvatóre meo.

[1] Exsultávit cor meum in Dómino,
exaltátum est cornu meum in Deo meo;
dilatátum est os meum super inimícos meos,
quia lætáta sum in salutári tuo. ℟.

[4] Arcus fórtium confráctus est,
et infírmi accínti sunt róbore.
[5] Saturáti prius pro pane se locavérunt,
et famélici non eguérunt ámplius.
Stérilis péperit plúrimos,
et, quæ multos habébat fílios, emárcuit. ℟.

[6] Dóminus mortíficat et vivíficat,
dedúcit ad inférnum et redúcit;
[7] Dóminus páuperem facit et ditat,
humíliat et súblevat. ℟.

[8] Súscitat de púlvere egénum
et de stércore élevat páuperem,
ut sédeat cum princípibus,
et sólium glóriæ téneat. ℟.

6.

LECTIO PRIMA

Egredietur virga de stirpe Iesse

Léctio libri Isaíæ prophétæ 11, 1-5. 10

In die illa:
1 Egrediétur virga de stirpe Iesse,
et flos de radíce eius ascéndet;
2 et requiéscet super eum spíritus Dómini:
spíritus sapiéntiæ et intelléctus,
spíritus consílii et fortitúdinis,
spíritus sciéntiæ et timóris Dómini;
3 et delicíæ eius in timóre Dómini.
Non secúndum visiónem oculórum iudicábit
neque secúndum audítum áurium decérnet;
4 sed iudicábit in iustítia páuperes
et decérnet in æquitáte pro mansuétis terræ;
et percútiet terram virga oris sui
et spíritu labiórum suórum interfíciet ímpium.
5 Et erit iustítia cíngulum lumórum eius,
et fides cinctórium renum eius.

10 In die illa radix Iesse
stat in signum populórum;
ipsam gentes requírent,
et erit sedes eius gloriósa.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS Ps 71, 1-2. 7-8. 12-13. 17 (℟.: 7)

℟. Florébit in diébus eius iustítia et abundántia pacis.

1 Deus, iudícium tuum regi da
et iustítiam tuam fílio regis;
2 iúdicet pópulum tuum in iustítia,
et páuperes tuos in iudício. ℟.

7 Florébit in diébus eius iustítia et abundántia pacis,
donec auferátur luna.
8 Et dominábitur a mari usque ad mare
et a Flúmine usque ad términos orbis terrárum. ℟.

12 Quia liberábit ínopem clamántem,
et páuperem, cui non erat adiútor.
13 Parcet páuperi et ínopi
et ánimas páuperum salvas fáciet. ℟.

17 Sit nomen eius benedíctum in sǽcula,
ante solem permanébit nomen eius.
Et benedicéntur in ipso omnes tribus terræ,
omnes gentes magnificábunt eum. ℟.

7.

LECTIO PRIMA

Tempus, in quo parturiens pariet

Léctio libri Michǽæ prophétæ 5, 1-4 a

Hæc dicit Dóminus:
1 Tu, Béthlehem Ephratha,
párvulus in mílibus Iudæ,
ex te mihi egrediétur,
qui sit dominátor in Israel;
et egréssus eius a tempóribus antíquis,
a diébus æternitátis.
2 Propter hoc dabit eos
usque ad tempus, in quo partúriens páriet;
et relíquiæ fratrum eius
converténtur ad fílios Israel.

3 Et stabit et pascet in fortitúdine Dómini,
in sublimitáte nóminis Dómini Dei sui;
et habitábunt secúre,
usque ad términos terræ,
quia nunc magnus erit
4 et erit iste pax.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS Ps 2, 7-8. 10-11 (℟.: 8a)

℟. Dabo tibi gentes hereditátem tuam.

7 Prædicábo decrétum eius.
Dóminus dixit ad me: « Fílius meus es tu;
ego hódie génui te ».
8 Póstula a me, et dabo tibi gentes hereditátem tuam
et possessiónem tuam términos terræ. ℟.

10 Et nunc, reges, intellégite;
erudímini, qui iudicátis terram.
11 Servíte Dómino in timóre
et exsultáte ei cum tremóre. ℟.

8.

LECTIO PRIMA

Exsulta satis, filia Sion

Léctio libri Zachárīæ prophétæ 9, 9-10

Hæc dicit Dóminus:

9 « Exsúlta satis, fília Sion;
iúbila, fília Ierúsalem.
Ecce rex tuus venit tibi
iustus et salvátor ipse,
pauper et sedens super ásinum
et super pullum fílium ásinæ.

10 Et dispérdam currum ex Ephraim
et equum de Ierúsalem;
et confringétur arcus belli,
et loquétur pacem géntibus.
Et impérium eius a mari usque ad mare
et a flúmine usque ad fines terræ ».

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS Ps 71, 1-2. 7-8. 12-13. 17 (℟.: 7)

℟. Florébit in diébus eius iustítia et abundántia pacis.

1 Deus, iudícium tuum regi da
et iustítiam tuam fílio regis;
2 iúdicet pópulum tuum in iustítia,
et páuperes tuos in iudício. ℟.

7 Florébit in diébus eius iustítia et abundántia pacis,
donec auferátur luna.
8 Et dominábitur a mari usque ad mare
et a Flúmine usque ad términos orbis terrárum. ℟.

12 Quia liberábit ínopem clamántem,
et páuperem, cui non erat adiútor.
13 Parcet páuperi et ínopi
et ánimas páuperum salvas fáciet. ℟.

17 Sit nomen eius benedíctum in sǽcula,
ante solem permanébit nomen eius.
Et benedicéntur in ipso omnes tribus terræ,
omnes gentes magnificábunt eum. ℟.

II

LECTIO PRIMA E NOVO TESTAMENTO

9.

LECTIO PRIMA

Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia

Léctio Epístulæ beáti Pauli apóstoli
ad Romános 5, 12. 17-19

Fratres:

12 Sicut per unum hóminem peccátum in hunc mundum in-
trávit et per peccátum mors, et ita in omnes hómines mors
pertránsiit, eo quod omnes peccavérunt.

17 Si enim uníus delícto mors regnávit per unum, multo magis,
qui abundántiam grátiæ et donatiónis iustítiæ accípiunt, in
vita regnábunt per unum Iesum Christum.

18 Igitur sicut per uníus delíctum in omnes hómines in con-
demnatiónem, sic et per uníus iustítiam in omnes hómines
in iustificatiónem vitæ; 19 sicut enim per inobœdiéntiam
uníus hóminis peccatóres constitúti sunt multi, ita et per
uníus obœditiónem iusti constituéntur multi.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 39, 7-8a. 8b-9. 10. 11 (℟.: cf. 8a et 9a)

℟. Ecce vénio, Dómine, ut fáciam voluntátem tuam.

7 Sacrifícium et oblatiónem noluísti,
aures autem fodísti mihi.
Holocáustum et pro peccáto non postulásti,
8 tunc dixi: « Ecce vénio. ℟.

In volúmine libri scriptum est de me.
9 Fácere voluntátem tuam,
Deus meus, vólui;
et lex tua in præcórdiis meis ». ℟.

10 Annuntiávi iustítiam tuam in ecclésia magna;
ecce lábia mea non prohibébo, Dómine, tu scisti. ℟.

11 Iustítiam tuam non abscóndi in corde meo,
veritátem tuam et salutáre tuum dixi.
Non abscóndi misericórdiam tuam
et veritátem tuam ab ecclésia magna. ℟.

10.

LECTIO PRIMA

Quos præscivit et prædestinavit

Léctio Epístulæ beáti Pauli apóstoli
ad Romános 8, 28-30

Fratres:
28 Scimus autem quóniam diligéntibus Deum ómnia cooperán-
tur in bonum, his, qui secúndum propósitum vocáti sunt.
29 Nam, quos præscívit, et prædestinávit confórmes fíeri imá-
ginis Fílii eius, ut sit ipse primogénitus in multis frátribus;
30 quos autem prædestinávit, hos et vocávit; et quos vocávit,
hos et iustificávit; quos autem iustificávit, illos et glorificávit.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS Ps 8, 4-5. 6-7a. 7b-9 (℟.: 2a)

℟. Dómine, Dóminus noster,
quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

4 Quando vídeo cælos tuos, ópera digitórum tuórum,
lunam et stellas, quæ tu fundásti,
5 quid est homo, quod memor es eius,
aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum? ℟.

6 Minúisti eum paulo minus ab ángelis,
glória et honóre coronásti eum;
7 et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. ℟.

Omnia subiecísti sub pédibus eius,
8 oves et boves univérsas,
ínsuper et pécora campi,
9 vólucres cæli et pisces maris,
quæcúmque perámbulant sémitas maris. ℟.

11.

LECTIO PRIMA

Necessitatibus sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes

Léctio Epístulæ beáti Pauli apóstoli ad Romános 12, 9-16a

Fratres:
9 Diléctio sine simulatióne. Odiéntes malum, adhæréntes bono;
10 caritáte fraternitátis ínvicem diligéntes, honóre ínvicem
præveniéntes, 11 sollicitúdine non pigri, spíritu fervéntes,
Dómino serviéntes, 12 spe gaudéntes, in tribulatióne patiéntes,
oratióni instántes, 13 necessitátibus sanctórum communicán-
tes, hospitalitátem sectántes.

14 Benedícite persequéntibus; benedícite et nolíte maledícere!

15 Gaudére cum gaudéntibus, flere cum fléntibus. 16 Idípsum
ínvicem sentiéntes, non alta sapiéntes, sed humílibus con-
sentiéntes.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS Ps 130, 1. 2. 3 (℟.: cf. Ps 56, 2 c)

℟. In te, Dómine, confídit ánima mea.

1 Dómine, non est exaltátum cor meum,
neque eláti sunt óculi mei,
neque ambulávi in magnis
neque in mirabílibus super me. ℟.

2 Vere pacátam et quiétam
feci ánimam meam;
sicut ablactátus in sinu matris suæ,
sicut ablactátus, ita in me est ánima mea. ℟

3 Speret Israel in Dómino
ex hoc nunc et usque in sǽculum. ℟.

12.

LECTIO PRIMA

Primitiæ Christus; deinde hi, qui sunt Christi

Léctio Epístulæ primæ beáti Pauli apóstoli ad Corínthios 15, 20-26

Fratres:
20 Christus resurréxit a mórtuis, primítiæ dormiéntium. 21 Quó-
niam enim per hóminem mors, et per hóminem resurréctio
mortuórum: 22 sicut enim in Adam omnes moriúntur, ita et
in Christo omnes vivificabúntur. 23 Unusquísque autem in
suo órdine: primítiæ Christus; deinde hi, qui sunt Christi,
in advéntu eius; 24 deínde finis, cum tradíderit regnum Deo
et Patri, cum evacuáverit omnem principátum et omnem
potestátem et virtútem.

25 Opórtet autem illum regnáre, donec ponat omnes inimícos
sub pédibus eius. 26 Novíssima autem inimíca destruétur
mors.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS Ps 15, 5 et 8. 9-10. 11 (℟.: 1)

℟. Consérva me, Deus, quóniam sperávi in te.

5 Dóminus pars hereditátis meæ et cálicis mei:
tu es qui détines sortem meam.
8 Proponébam Dóminum in conspéctu meo semper;
quóniam a dextris est mihi, non commovébor. ℟.

9 Propter hoc lætátum est cor meum,
et exsultavérunt præcórdia mea;
ínsuper et caro mea requiéscet in spe.
10 Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno
nec dabis sanctum tuum vidére corruptiónem. ℟.

11 Notas mihi fácies vias vitæ,
plenitúdinem lætítiæ cum vultu tuo,
delectatiónes in déxtera tua usque in finem. ℟.

13.

LECTIO PRIMA

Dedit nobis victoriam per Iesum Christum

Léctio Epístulæ primæ beáti Pauli apóstoli
ad Coríntios 15, 54-57

Fratres:
54 Cum autem corruptíbile hoc indúerit incorruptélam, et mor-
tále hoc indúerit immortalitátem, tunc fiet sermo, qui scrip-
tus est: « Absórpta est mors in victória.
55 Ubi est, mors, victória tua?
Ubi est, mors, stímulus tuus? ».
56 Stímulus autem mortis peccátum est, virtus vero peccáti lex.
57 Deo autem grátias, qui dedit nobis victóriam per Dóminum
nostrum Iesum Christum.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS Ps 117, 14-15. 16-17. 19-21 (℟.: 1 a)

℟. Confitémini Dómino, quóniam bonus.

14 Fortitúdo mea et laus mea Dóminus
et factus est mihi in salútem.
15 Vox iubilatiónis et salútis
in tabernáculis iustórum. ℟.

16 Déxtera Dómini fecit virtútem!
Déxtera Dómini exaltáta est;
déxtera Dómini fecit virtútem!
17 Non móriar, sed vivam
et narrábo ópera Dómini. ℟.

19 Aperíte mihi portas iustítiæ;
ingréssus in eas confitébor Dómino.
20 Hæc porta Dómini;
iusti intrábunt in eam.
21 Confitébor tibi, quóniam exaudísti me
et factus es mihi in salútem. ℟.

14.

Lectio prima

Elegit nos Deus in Christo ante mundi constitutionem

Léctio Epístulæ beáti Pauli apóstoli
ad Ephésios 1, 3-6. 11-12

3 Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi,
qui benedíxit nos in omni benedictióne spirituáli in cæléstibus
in Christo,
4 sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutiónem,
ut essémus sancti et immaculáti in conspéctu eius in caritáte,
5 qui prædestinávit nos in adoptiónem filiórum
per Iesum Christum in ipsum,
secúndum beneplácitum voluntátis suæ,
6 in laudem glóriæ grátiæ suæ,
in qua gratificávit nos in Dilécto.

11 In quo étiam sorte vocáti sumus, prædestináti secúndum
propósitum eius, qui ómnia operátur secúndum consílium
voluntátis suæ, 12 ut simus in laudem glóriæ eius, qui ante
sperávimus in Christo.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Is 61, 10 a-d. f. 11; 62, 2-3 (℟.: cf. Eph 1, 4)

℟. Te elégit Deus ut sis sancta et immaculáta.

10 Gaudens gaudébo in Dómino,
et exsultábit ánima mea in Deo meo,
quia índuit me vestiméntis salútis
et induménto iustítiæ circúmdedit me,
quasi sponsam ornátam monílibus suis. ℟.

11 Sicut enim terra profert germen suum
et sicut hortus semen suum gérminat,
sic Dóminus Deus germinábit iustítiam
et laudem coram univérsis géntibus. ℟.

62,2 Et vidébunt gentes iustítiam tuam
et cuncti reges glóriam tuam;
et vocáberis nómine novo,
quod os Dómini nominábit.
3 Et eris coróna glóriæ in manu Dómini
et diadéma regni in manu Dei tui. ℟.

15.

LECTIO PRIMA

Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi

Léctio Epístulæ beáti Pauli apóstoli
ad Colossénses 1, 21-24

Fratres:

21 Vos, cum essétis aliquándo alienáti et inimíci sensu in opé-
ribus malis, 22 nunc autem reconciliávit in córpore carnis eius
per mortem exhibére vos sanctos et immaculátos et irre-
prehensíbiles coram ipso, 23 si tamen permanétis in fide fun-
dáti et stábiles et immóbiles a spe evangélii, quod audístis,
quod prædicátum est in univérsa creatúra, quæ sub cælo
est, cuius factus sum ego Paulus miníster.

24 Nunc gáudeo in passiónibus pro vobis et adímpleo ea quæ
desunt passiónum Christi, in carne mea pro córpore eius,
quod est ecclésia.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 115, 12-13. 15-16 bc. 17-18 (℟.: 17 a)

℟. Tibi, Dómine, sacrificábo hóstiam laudis.

12 Quid retríbuam Dómino
pro ómnibus quæ retríbuit mihi?
13 Cálicem salutáris accípiam
et nomen Dómini invocábo. ℟.

15 Pretiósa in conspéctu Dómini
mors sanctórum eius.
16 Ego servus tuus et fílius ancíllæ tuæ.
Dirupísti víncula mea. ℟.

17 Tibi sacrificábo hóstiam laudis,
et nomen Dómini invocábo.
18 Vota mea Dómino reddam
coram omni pópulo eius. ℟.

16.

LECTIO PRIMA

Didicit obœdientiam,
et factus est auctor salutis æternæ

Léctio Epístulæ ad Hebrǽos 5, 7-9

7 Christus in diébus carnis suæ, preces supplicationésque ad
eum, qui possit salvum illum a morte fácere, cum clamóre
válido et lácrimis ófferens et exaudítus pro sua reveréntia,
8 et quidem cum esset Fílius, dídicit ex his, quæ passus est,
obœdiéntiam; 9 et, consummátus, factus est ómnibus obœ-
diéntibus sibi auctor salútis ætérnæ.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 30, 2-3b. 3c-4. 5-6. 15-16. 20 (℟.: 17b)

℟. Salvum me fac, Dómine, in misericórdia tua.

2 In te, Dómine, sperávi, non confúndar in ætérnum;
in iustítia tua líbera me.
3 Inclína ad me aurem tuam,
accélera, ut éruas me. ℟.

Esto mihi in rupem præsídii
et in domum munítam, ut salvum me fácias.
4 Quóniam fortitúdo mea et refúgium meum es tu,
et propter nomen tuum dedúces me et pasces me. ℟.

5 Edúces me de láqueo, quem abscondérunt mihi,
quóniam tu es fortitúdo mea.
6 In manus tuas comméndo spíritum meum;
redemísti me, Dómine, Deus veritátis. ℟.

15 Ego autem in te sperávi, Dómine;
dixi: « Deus meus es tu,
16 in mánibus tuis sortes meæ ».
Eripe me de manu inimicórum meórum
et a persequéntibus me. ℟.

20 Quam magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine,
quam abscondísti timéntibus te.
Perfecísti eis, qui sperant in te,
in conspéctu filiórum hóminum. ℟.

III

EVANGELIUM

17.

ALLELUIA ET VERSUS ANTE EVANGELIUM

(℟. Allelúia).

℣. Felix es, sacra Virgo María,
et omni laude digníssima;
quia ex te ortus est sol iustítiæ,
Christus Deus noster.

(℟. Allelúia).

EVANGELIUM

Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum 1, 18-23

18 Iesu Christi generátio sic erat: Cum esset desponsáta mater
eius María Ioseph, ántequam convenírent invénta est in útero
habens de Spíritu Sancto.

19 Ioseph autem vir eius, cum esset iustus et nollet eam tradú-
cere, vóluit occúlte dimíttere eam. 20 Hæc autem eo cogitánte,
ecce ángelus Dómini in somnis appáruit ei dicens: « Ioseph
fili David, noli timére accípere Maríam cóniugem tuam. Quod
enim in ea natum est, de Spíritu Sancto est; 21 páriet autem
fílium, et vocábis nomen eius Iesum: ipse enim salvum fáciet
pópulum suum a peccátis eorum ».

22 Hoc autem totum factum est, ut adimplerétur id, quod
dictum est a Dómino per prophétam dicéntem: 23 « Ecce, virgo
in útero habébit et páriet fílium, et vocábunt nomen eius
Emmánuel », quod est interpretátum Nobíscum Deus.

Verbum Dómini.

18.

ALLELUIA ET VERSUS ANTE EVANGELIUM

(℟. Allelúia).

℣. Ave, Virgo, virga Iesse:
ex te ortus est Christus Deus noster,
virtus et sapiéntia Patris.

(℟. Allelúia).

EVANGELIUM

Nonne mater eius dicitur Maria?

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum 13, 54-58

In illo témpore:

54 Véniens Iesus in pátriam suam, docébat eos in synagóga
eórum, ita ut miraréntur et dícerent: « Unde huic sapiéntia
hæc et virtútes? 55 Nonne hic est fabri fílius? Nonne mater
eius dícitur María, et fratres eius Iacóbus et Ioseph et Simon
et Iudas? 56 Et soróres eius nonne omnes apud nos sunt?
Unde ergo huic ómnia ista? ». 57 Et scandalizabántur in eo.

Iesus autem dixit eis: « Non est prophéta sine honóre nisi in pátria et in domo sua ».

58 Et non fecit ibi virtútes multas propter incredulitátem illórum.

Verbum Dómini.

19.

Alleluia et Versus ante Evangelium — Cf. Io 8, 31

(℟. Allelúia).

℣. Si manséritis in sermóne meo,
vere discípuli mei éritis
et cognoscétis veritátem, dicit Dóminus.

(℟. Allelúia).

Evangelium

Qui fecerit voluntatem Dei,
hic frater meus et soror mea et mater est

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum — 3, 31-35

In illo témpore:
31 Venit mater Iesu et fratres eius et foris stantes misérunt ad
eum vocántes eum. 32 Et sedébat circa eum turba, et dicunt
ei: « Ecce mater tua et fratres tui et soróres tuæ foris quæ-
runt te ».

33 Et respóndens eis ait: « Quæ est mater mea et fratres mei? ».

34 Et circumspíciens eos, qui in circúitu eius sedébant, ait:
« Ecce mater mea et fratres mei. 35 Qui enim fécerit voluntá-
tem Dei, hic frater meus et soror mea et mater est ».

Verbum Dómini.

20.

ALLELUIA ET VERSUS ANTE EVANGELIUM

(℟. Allelúia).

℣. Ave, Virgo, virga Iesse:
ex te ortus est Christus Deus noster,
virtus et sapiéntia Patris.

(℟. Allelúia).

EVANGELIUM

Nonne iste est faber, filius Mariæ?

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 6, 1-6

1 Venit Iesus in pátriam suam, et sequúntur illum discípuli
sui. 2 Et facto sábbato, cœpit in synagóga docére; et multi
audiéntes admirabántur dicéntes: « Unde huic hæc, et quæ
est sapiéntia, quæ data est illi, et virtútes tales, quæ per
manus eius efficiúntur? 3 Nonne iste est faber, fílius Maríæ
et frater Iacóbi et Iosétis et Iudæ et Simónis? Et nonne soró-
res eius hic nobíscum sunt? ». Et scandalizabántur in illo.

4 Et dicébat eis Iesus: « Non est prophéta sine honóre nisi
in pátria sua et in cognatióne sua et in domo sua ». 5 Et non
póterat ibi virtútem ullam fácere, nisi paucos infírmos impó-
sitis mánibus curávit; 6 et mirabátur propter incredulitá-
tem eórum.

Et circumíbat castélla in circúitu docens.

Verbum Dómini.

21.

ALLELUIA ET VERSUS ANTE EVANGELIUM Cf. Io 14, 16

(℟. Allelúia).

℣. Ego rogábo Patrem,
et álium Paráclitum dabit vobis,
ut máneat vobíscum in ætérnum.

(℟. Allelúia).

EVANGELIUM

Sedete in civitate,
quoadusque induamini virtutem ex alto

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 24, 44-53

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: 44 « Hæc sunt verba, quæ locútus sum ad vos, cum adhuc essem vobíscum, quóniam necésse est impléri ómnia, quæ scripta sunt in Lege Móysis et Prophétis et Psalmis de me ».

45 Tunc apéruit illis sensum, ut intellégerent Scriptúras. 46 Et
dixit eis: « Sic scriptum est, Christum pati et resúrgere a
mórtuis die tértia, 47 et prædicári in nómine eius pæniténtiam in remissiónem peccatórum in omnes gentes, incipiéntibus ab Ierúsalem. 48 Vos estis testes horum. 49 Et ecce ego
mitto promíssum Patris mei in vos; vos autem sedéte in civitáte, quoadúsque induámini virtútem ex alto ».

50 Edúxit autem eos foras usque in Bethániam et, elevátis mánibus suis, benedíxit eis. 51 Et factum est dum benedíceret illis,
recéssit ab eis et ferebátur in cælum. 52 Et ipsi adoravérunt
eum et regréssi sunt in Ierúsalem cum gáudio magno 53 et
erant semper in templo benedicéntes Deum.

Verbum Dómini.

INDICES

INDEX LECTIONUM

INDEX PSALMORUM

INDEX CANTICORUM

INDEX ALLELUIA ET VERSUUM ANTE EVANGELIUM

INDEX ALPHABETICUS MISSARUM

INDEX GENERALIS

TEMPUS « PER ANNUM »

APPENDIX

INDICES

HOC VOLUMEN
TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
EXCUSUM
IMAGINIBUS
A FR. FLORENTIO M. GOBBO OSM
DELINEATIS
AFFABRE ORNATUR